

Q.K.349,8.

f. B.



DISSE^TATI^NE^M
DE
MEDIIS INVESTIGANDI
VERITATES RERUM
NATURALIUM.
SUB
PRÆSIDIO

DNI. L. JOHANNIS CYPRIANI
NATURALIUM IN ILLUSTRI HAC
LIPSIENSI ACADEMIA P. P.

*PRÆCEPTORIS AC HOSPITIS SUI
OMNI HONORIS CULTU
AFFICIENDI,*

Publicè discutiendam proponit

JOHANN. BROCKHAUSEN,
Rigâ Livonus SS. Theol. Studiosus

Autor & Respondens.

A.R.S. M. DC. XCIII. die XVIII. FEBRUARII.

LIPSIÆ,
Literis JOHAN. HEINRICI RICHTERI.



J. Warksdorf.



550.

PARENTI. MAGNIFICO.
DNO. PAULO. BROCKHAUSEN.
BURGGRAVIO. REGIO. PRÆSIDI. CONSI-
STORII. ET CONSULI. PATRIÆ. MERITISSIMO.
FILIALE. OBSEQUIUM.



Udet brevis hæcce dissertatio TUO se sistere con-
spectui; quid? prima statim pagina Nomine TUO
superbire non erubescit. Miraberis? solent dedica-
tiones Patrocinium quærere, num unquam de TUO
dubitavi? Materies est, quæ Politicis, quibus distineris, nego-
tiis congruere vix videtur. Audeo tamen, qui filialem cultum ex-
ponere debui, hōc primō fœtu volui, aliō non potui. Ab incuna-
bulis, ad juvenilem usq; ætatem TUA post Deum cura sustendor:
In dissitō admodum locō TUIS solum sumptibus studia tracta-
vi, tracto, & σὺν Θεῷ παλάμα tractabo ulterius. Qvod majus,
quæso, beneficium esse poterit? En! eō ipsō me publicè debito-
rem profiteor, nec alii, nisi TIBI specimen hoc Academicum de-
beri lubens confiteor. Suscipe istud benevolè! Tacitus ipse Sva-
for ejusdem extitisti. Philosophiæ incumbere prius debebam,
Theologicis anteqvam me applicarem studiis, sed ad istam re-
rum naturalium scientia pertinet. Gratissimum inde TIBI &
idem fore non augurari non possum. Unicum est, in quo hæreo,
& non sine causa hæreo. Accuratori cum cura id elaborandum
erat, sed voluisse sat erit, Parens Optime. Metieris conamen non
eruditioñis, sed ætatis spaciō, quodq; tessera gratitudinis est, sere-
nâ fronte aspicies. Istud mihi pollicor, hoc enixè expeto. Deus
TE servet, Parens Venerabilis, in annos Pylios! Benedicat consi-
liis, viresq; queis præceps indiget senectus, concedat validissi-
mas! Gaudeat in seros annos Respublica Consule, Familia Patre,
Gravissimo, Charissimo, BROCKHUSIO! Dabam Lipsiæ, die
XI, Februarii, Anno 1693.

A & Ω!

CAPUT I. PROOEMIALE.

§. I.

DE mediis pervenienti ad veritatem, ad qvam omnes collineamus, disputare mens est. Sed hīc opus, hīc labor. Si enim verum est, in aliorum inventis nos non debere acqiescere: vel id maximē erit necessarium veritati investigandæ studere. Studuere qvoque alii inveniendæ veritati in qvibuscunqve scientiis & disciplinis, variâ & ipsi usi methodo. Nos circa veritatem rerum naturalium investigandam hærebimus.

§. II.

Quid vero veritas? Quid res naturales? Quid investigatio? Et utrum dentur veritates in rebus naturalibus? intelligere nos oportet; anteqvam fontes, ex qvibus veritates illæ hauriendæ sunt, degustemus. Veritas itaque, qvam nunc intendimus, est conformitas conceptus cum re. Hanc mentalem vocat Petrus Poiret (a), & opponit veritati materiali, qvam ait in hoc consistere, qvod res sint, prout reverâ sunt, sive corporeæ sint sive cogitantes: v.g. qvando cogito solem, circulum, chimæram, veritas est, me hæc cogitare; & qvando sum in tenebris, aut erro, veritas est, me errare, & esse in tenebris. In his (i.) termini sunt inconvenientes: nam materialis veritas non mentali, sed formalis recte opponitur. Alii vocant objectum intellectus, qvam veritatem materialem Poiret inusitatè appellat. (2.) Descriptiones utriusque veritatis non satis distinctas fecit: Etenim cogitans solem aut circulum, cogitationem utique habet conformem rei alicui existenti extra se: fingens sibi chimæram, cogitat, qvod nulli rei extra se est confor-

A 2

me.

me. Ergo in priore conceptu est etiam veritas mentalis, in posteriori falsitas. Veritatem illam in rebus naturalibus quæsituri, quæritimus porro, quid res naturales sint? Ex adjecto τὸ naturale, de multifaria rei significatione loqui hīc opus non esse, quilibet concedet, simul intelligens, nos de naturalibus, prout supernaturali, (b) voluntario, libero, fortuito, violento (c) opponuntur, & ē sinu naturæ prodeunt (d), agere: seu de objecto physices, quod corpus naturale (e) appellant, saniores philosophi, diversum ab artificiali & mathematico (f). Verbo: cum Excellentissimo Domino Sturmio (g) res naturales dicimus illas, quæ quoad ortum, conservationem, & operationes suas aliunde, quam ab arte, aut humana ratione dependent, ac principium motus in se ipsis primò habent. De investigatione non est, ut multum dicamus, dum, quid sit? omnibus fermè constat, & ubique à Lexicographis indicatur: tantummodò monemus, à Græcis emphaticè per ἐγεννᾶν exprimi: siquidem non exiguæ difficultatis esse veritatem indagare viri doctissimi fassi sunt. (b) Tandem nomine medii cognitio-
nis, nos principia cognoscendi, quæ alias vocantur, intelligere, obscu-
rum nemini erit.

- (a) *In tractatu de Gera methodo ingenieri Gerum P.I. p. 21.*
(b) *Jacobus Rohault Tr. Phys. P.I. c. V. §. 12. p. 32.* (c) *Chauſin in Lexico Phi-
losoph. Tit. Geritat. Log.* (d) *Jac. Rohault. c.l. c' I. p. 1.* (e) *Herebord
Colleg. Phys. Disp. I. §. 1. n. 4.* (f) *Joh. Greydan. Instit. Phys. Lib. I Tr. I.
p. 7.* (g) *Phys. concil. Proleg. Aphorism. III. p. 2.* (h) *Generosissimus Do-
minus Tschirnhausen in medicin. ment. P. II. p. 24. Verulam. Serm. fid. I.
de Geritat. p. 1140. Jac. Rohault. c. L. cap. ult. p. 376.*

§. III.

Cognitis jam terminis, videndum, utrum dentur veritates in rebus naturalibus? Ratio dubitandi esse poterit, quod veritas à philosophis communiter distingvatur in Logicam, metaphysicam & moralē. (i.) Deinceps nullam veritatem, nullam falsitatem rebus inesse docuerunt Philosophi, ut: Heraclitus, Empedocles, Cratylus, Pyrrho (k) & alii. Sed respondemus, positio unius non est alterius exclusio. Si veritas publica est, & communis juris juxta Vincentium Linrinensem; quidni & physicæ competet? Juvat nos in parte ci-
tatus supra Pet. Poiret (l) Veritates, in reales spirituales, reales cor-
poreas, & reales pietas distinctas proponens, Deinceps, divisio ge-
neralis specialem omnino in se continet, Logicaqve veritas physicam
compre-

comprehendit. Porrò, qvia cum errantibus errare, insanire esset; qvid inter puriores philosophos degentes aliter faceremus, si turbidas Veterum imbiberemus doctrinas? Ni darentur veritates in rebus naturalibus, insanum esset, ex igne combustionem timere, quem calidum affirmamus, (m) gravium submersionem in aquis, qvorum natura est deorsum ferri. (n)

(i) Chauvin c.l. Tit. *Veritas*. Donat. *Metaphys.* cap. VII. p. 52.

(k) Aristot. Lib. IV. *Metaphys.* cap. III. 45. Cic. q6. Acad. IV.

(l) Poiret c.l. Part. I. §. 20. p. 23.

(m) Jac. Robault *Phys. part. III. cap. IX. §. IV.* p. 604. Joh. Greyd. *Lib. III. Institut. phys.* cap. II. p. 125.

(n) Robault. c.l. Part. II. cap. XXVIII. p. 479. Anton. Le Grand. *hist. nat. artic.* IV. p. 53. Greyd. c. l. p. 53.

§. IV.

Verum enim vero, ut ut hæc tanquam certa admittamus; dantur tamen alia, de quibus neque certi sumus, neque vidimus, quomodo ad veritatem illorum deveniendum. Ex innumerabilibus probationis loco adducenda erunt. Et ut servatō aliquo id fiat ordine, prius, qvid de toto hujus universi systemate, deinceps quid de partibus ejus nonnullis totalibus inter Eruditos in dubium vocatur, paucissimis attingemus. Sit itaque commune nostrum domicilium, tota hujus universi structura, primum objectum, de quo Philosophi inter se convenire nequeunt. Alii enim creatum, alii æternum dicunt. Qui creatum esse volunt, de anni parte dubiè certant. Alia existit lis de figura mundi, an ullam habeat, quod negant Cartesiani, num si habeat, ei sphærica, an alia certius adscribatur. Gravissima est concertatio, de coordinatione, constructione, aut fabrica totius universi, quam aliam Ptolemaici, aliam Copernicani, & cum ipsis Cartesiani, aliam Tychonici repræsentant (o)

(o) Ricciolus *Almag. Nōb.* Lib. III. cap. 6. Cäſp. Schottus in *prælusione catholica ad iter Ecstaticum Kircheri.* p. 36. Le Grand. in *institut. philosophiae Part. V. cap. VIII.*

§. V.

Qvas incertitudines circa totum hujus universi systema comprehendimus, his partes ipsius etiam non carent. Ut de cœlo, ejusque materia, quam ex elementis quidam, quidam ex quinta essentia constituunt, nihil dicamus: neque de iis, qui cœlos solidos & duros,

A 3

eosque



eosque aut plures aut pauciores suis epicyclis & excentricis instructos esse volunt, neque qui nihil solidum in coelo agnoscant, praeter cœlestes globos, quos in aura cœlesti, quidam etiam in magno spatio vacuo moveri dicunt: neque de iis qui firmamentum stelliferum tantummodo solidum ac durum existimant, loquamus (*p*), corporum in cœlis contentorum seu astrorum fixorum & Planetarum mentionem breviter facere nobis lubet. Dubium enim inter se viri doctissimi movent, utrum stellæ, quas fixas appellant, corpora lucida sint aut illuminata? Hoc Honoratus Fabri, & ante ipsum Vitellio, Blanicanus, Scheinerus & alii: Illud vero recentiores plerique defendunt. Priores se tuentur, quoniam stellæ fixæ nihil praeter micationem, quod planetis non competit, habent, respectu corporis lucidi: at ex hac micatione non quod lucidae, sed magis illuminatae sint, probatur. Deinceps si corpora lucida essent, cur tam parum luminis, & nihil prorsus caloris in sublunarem mundum transfundant? (*q*) Recentiores vero suam dilucidant assertionem ex eo, quod stellæ fixæ non tantum multò plus, quam planetæ scintillent, & quod ipsis Sol ob magnam distantiam lumensuppeditare non sufficiat, sed etiam vix verisimile esse dicunt, conspici posse eas, si à sole lumen suum emendicarent. (*r*) Hinc concludunt, stellas fixas quasi soles esse in diversis mundi locis sitos.

(*p*) *De iis omnibus consulatur Honoratus Fabri Phys. Tr. VIII. Lib. II. Propos. XXXV. seqq. p. 313.*

(*q*) *Ricciolus Almagesti Noſi Lib. VI. cap. II. Honor. Fabric. I. p. 284.*

(*r*) *Schottus in it. Ecstat. Kircheri Cap. IX. Dial. 1. Schol. 2. 3. Anton. Le Grand histor. natur. Artic. VII. p. 118. Rohault. Tr. phys. cap. XXV p. 452.*

§. VI.

A stellis fixis ad planetas nos vertimus, sub quorum certitudine multa etiam incerta latent. Aspiciamus tantummodo Saturnum, cuius medium illustre, lunulæ obscurissimæ, satellites vero splendentes vulgo dicuntur. Jam disputatur, cur tota non sit lumine perfusa elliptica Saturni facies, & unde duæ illæ lunulæ obscuræ sint & atræ? Equidem Hugenius, cum supposuisset, Saturnum esse corpus sphæricum, quanquam Galileus illum sub mutabili figura, modò rotunda modò ovali apparere observaverit, dicit: *annulum, qui Saturnum ambit, ad certam distantiam, & cuius latitudo sat sit sensibilis, non secus, ac* *Satur-*

Saturnum per solis lumen lucidum esse. Imo Ephemeridista Gallus perhibet, qvod annulus paulò magis lumine splendente, qvām Saturnus apparuerit, & nigræ lineæ, qvæ annulum secant, & corpus trans-eunt, visibiles fuerint (s). Jam inter has fluctuamus sententias, qvam apprehendimus qvæso ? Plures de Saturno, item de Jove, ejusque satellitibus, de Venere, ejusqve phasibus, difficultates offerre possemus, sed nimis excurreremus : qvamobrem lunam adhuc paucis tangere licet ; qvam terraqve globo nostro similem, non solum inanimata, sed & animata, rationaliaqve alere animalia, fontes in illa scaturire, flumina currere, philosophi sibi persvasum habent (t). Cogitant enim impossibile esse, tam immensum & speciosum corpus hominibus carere, qvibus orbis hicce noster luteus abundat : Neqve, qvod finis illius unicus sit, qvod luceat hominibus ; impium qvoqve esse putant, beneficentiam Dei ad pauculos homines restringere, & omnipotentiæ divinæ repugnare, cum solam terram incolas habere affereremus (u). Qvanqvam hi nescio qvid perfectionis lunæ sententia suâ tribuant, interim tamen alii hanc assertionem pro delirio habent, ut Auzutus.

(s) *Le Journal des Scavans An. 1666. 29. Junij p. m. 505. Honorat. Fabri c. l. Tr. VIII. Lib. I. Propos. CV. p. 281. Rohault c. l. p. 423.*

(t) *Ita heteres Philosophi apud Plutarchum Lib. II. de Philosoph. placitis cap. XXX. Macrobius Lib. I. cap. XI. A qibibus non abhorrent Nicol. Cusanus Lib. II. de docta ignorantia cap. X. Joh. Kepler in Dissertatione cum Nuncio Sidereo p. 43. Gassendus Sezt. II. Physicæ Lib. I. cap. 6. p. 526. Johan. Hevelius in Selenographia cap. VI. fol. 120. Et Cartesiani nonnulli.*

(u) *Vid. Athanas. Kircherus in Itin. Ecclat. Schol. VII. p. 93.*

§. VII.

Qvod motum cœli & stellarum concernit, Aristoteles distinxit cœlum in octo sphæræ solidas, scilicet septem planetarum, & octavam stellarum fixarum, sive primum mobile, qvod absolvit circulationem suam ab ortu in occasum intra spatiū 24. horarum, & secum rapit reliquos omnes cœlos inferiores, qui nihilominus motu suo proprio ab occasu in ortum, alii celerius, alii tardius feruntur. Ptolomæus octavæ sphæræ fixarum nonum cœlum, Alphonsus duos cœlos, unum crystallinum & primum mobile, Clavius & alii recentiores Astrologi tres cœlos, sc. duos crystallinos & primum mobile superadjecerunt, prout alios insuper stellarum fixarum motus observasse sibi videbantur. Cartesiani Copernicum sequuti afferunt cœlum fluidum,

dum, & in medio Planetarum solem constitutum loco suo non move-
ri, nisi qvod circa centrum suum circumgyretur : similiter & stellas
fixas, qvæ sint totidem soles, circa proprios axes converti solummodo,
aliam loci mutationem sensibilem non recipere, reliquos motus ap-
parentes esse, à motu terræ ipsi affictos. Planetarum verò, inter qvos
ipsis terra qvoq; est, motum distingvunt in verum & apparentem. Ve-
rum dicunt, qvò ab occasu in ortum circa solem feruntur, apparen-
tem, qvò nobis è terra conspecti modo videntur stare, modo progre-
di, modo retrogredi. Tycho Brahe, & qui cum ipso faciunt plurimi
docent, siderain æthere fluido tām errantia, qvām non errantia in oc-
casum uno motu spirali ferri, sed stellas fixas velocius, planetas, ac no-
minatim solem & lunam segnius, idcirco planetas à stellis fixis ante-
verti, hisque circuitus suos citius absolventeribus, ipsos sub signis,
qvæ sunt magis orientalia, relinquvi.

§. VIII.

Anteqvam cœlum relinquamus, stellarum novarum *κατ' εξοχὴν*
dictarum, qvæ stellis fixis similes sunt, mentionem hic injicere non in-
gratum erit : de qvarum ortu & situ non levis existit pugna inter eru-
ditos. Alii existimant, easdem propria creatione creari, Alii, ex col-
lectione aliarum particularum cœlestium coalescere : num vero col-
lectio ab Angelis, num mero casu fiat, hæsitant. Alii, ex congressu
multorum exiguorum Planetarum seorsim invisibilium de novo con-
spici : Alii, originem illarum à macularum dissolutione pendere exi-
stimant : qvomodo dissolutio isthæc fiat, ex Antonio Le Grand (x)
peti poterit. Situm stellarum novarum altissimum esse ex hac ratio-
ne, qvod firmamenti puncto semper affixæ sint, qvidam probant : qvi-
dam vero ex parallaxibus infra lunam esse demonstrare volunt (y).
Ad novarum stellarum classem referendi qvoqve essent Cometæ pla-
netarum simii; nam qvid sint, qvæ illorum materia, qvæ figura, qvomo-
do accendantur & qvamdiu durent, qvi finis illorum &c? inter varias
admodum ac incertas laboramus sententias, ut brevitati studentibus
nimis prolixa forent, etiam breviter eadem recensere. Consulantur
interim Claramontius, Tycho, Keplerus, Longomontanus, Galilæus,
Camillus Gloriosus, Fromondus, Licetus, Hevelius, Ricciolus, Kirche-
rus, Schottus, Bernoulli, Weigelius, Sturmius.

(x) Anton. Le Grand Hist. natural. Part. III. artic. VII. §. V.

(y) Honorat Fabric. l. Propos. XXXI. p. 296. seqq.

§. IX.

§. IX.

Qvod si jam in mundum sublunarem descendimus, de elementorum substantia, numero, motu, loco, transmutatione, aliisqve qualitatibus, molestissimæ occurunt altercationes, speciatim de igne, an sit substantia, an accidens: & si substantia, an corpus simplex an mistum, an summe levis an solum comparate, & alia. Aërem ex solis vaporibus & fumis componi, invenimus sentientes, qvod vero ob vim elasticam aëri insitam, qvæ in fumis & vaporibus non reperitur, quidam negant. Qvomodo autem vis elastica in aëre reperiatur omnibus dictu difficile est (z). Cartesius aërem nihil aliud esse existimat, *quam congeriem particularum tertii elementi tam tenuium, & à se mutuò disjunctorum, ut qvibuslibet motibus globulorum cœlestium obsequantur* (a). Alii aërem rarefactam aquam esse putant: qvos rident alii ideò, qvod, cum aqua rarefacta frigore densetur, & concrescat, totus aëris tractus, qui præfertim hyeme frigidissimus est, in aquam concreceret (b). Dicunt aërem frigidissimum, qvod qvibusdam aures vellicat, qui aërem indifferenter se habere perhibent, ut nunquam summè frigidus sit, & nunquam summè calidus, ne alias respirationi noceret, & aquam destrueret (c). Vulgus juxta tripartitam aëris regionem supremam valdè calidam, medium frigidam, infimam modò calidam, modò frigidam esse perhibet. Profunditates harum regionum philosophi determinare nequeunt, adeoque & hic inter se dissentunt. Zabarella (d) supremam eandem semper & immutabilem quantitatem servare, & immobilibus limitibus contineri, cœteras vero non ita statuit: qvod multis non adeò ad palatum est (e). Si ulterius de aëris siccitate aut humiditate, gravitate aut levitate, utrum facilius in aquam, ignem aut terram convertatur, qvos effectus etiam præbeat varios, certi quid habere conaremur, reti opinionum inexplicabili implicaremur (f).

(z) *Du Hamel. phys. general. Tr.I. Disp. III. Q. III. seqq. pag. m. 146. seqq.*

(a) *Cartesius Princip. Philos. P. IV. num. XLV. p. 206.* (b) *Honorat Fabrici Lib. Propos. XVII. p. 92.* (c) *Greyd. institut. Phys. Lib. III. c. IV. p. 128.* (d) *Zabarella Lib. de regionibus aëris, cap. 1.* (e) *Arnoldus Sengherdius in introduct: ad Phys. Lib. II. cap. VI. p. 178.* (f) *D. Johan. Bohn in Meditationibus de aëris influxu in sublunaria.*

§. X.

Circa aquam multa sunt, ad quorum veritatem perveniendam difficultis est aditus. Sufficiat nobis hac vice inter illa aestus marinus, sive fluxus & refluxus maris, quem absque admiratione mortalium nullus aspicere valet, quanto impetu bis 24 horarum spatio, per aliquas horas locum suum relinquit, ut illic ambulare possimus, ubi ante naves vehabantur, tanto impetu redit, locumque suum replet. Hujus aestus causam examinant philosophi, praemissis cum diversis maribus diversi sint aestus, alicubi maiores, alicubi minores, imo alicubi nulli. Causam efficientem aestus illius Peripatetici plerique Ptolomaeum & Plinium secuti faciunt Lunam (g): quam non causam, sed occasionem proprie dicendam esse contendit Honoratus Fabri (h). Copernicani ad motum terrae configiunt, inter quos Cæsalpinus, Origanus, Keplerus, Galilæus (i). Cartesius intelligens motum terrae non sufficere ad omnia phænomena motus marini explicanda, Lunæ motum in subsidium vocavit (k). Furnerius Jesuita (l) & Isaac Vofsius (m) motum marinum à Solis virtute & motu deducunt.

(g) *Vid. Magirum in Physiologia Peripatet. Lib. IV. cap. VIII. pag. 314. Et 317. aliosque Anteores citatos à Sengherdio introduct. ad Physic. Lib. II. cap. VII. qibis adde è Recentioribus Theodoreum Moretum Jesuitam in Tractatu de aestu maris cap. IV. p. 21. (h) Tractatu VI. Lib. III. Propos. XXXIV. Et seqq. p. 322. Et c. (i) Vid. Gassend. in Physica Sect. III. Lib. I. cap. IV. Et Epist. II. de motu impresso. Item Ricciolum Lib. IX. Almagest. Sect. IV. cap. XIV. n. 43. 44. (k) In Principiis Philosophiae P. IV. n. 49. Adde Le Grand tum in Historia naturæ, tum in institutionibus philosophiae. (l) In Hydrographia Lib. IX. cap. XXIII. (m) In libro de motu marium Et sen- torum cap. IIX. XV. XVII. XIIIX. XIX.*

§. XI.

Sic neque mare difficultibus suis caruit: num terra quoque in illorum quæ jam perlustravimus censeatur ordine, merito quis quæreret? ast nec hæc excipitur. Si enim cum Ptolomæo, Tychone Braheo, aliisque pluribus terram centrum uni versi constituamus, ut, ubi terra, ibi quoque centrum mundi sit: nos impugnant qui Solem mundi centrum esse dicunt. Nonne cum Philolao, Copernico, Rhetico, Mœstlino, Keplero, Cartesio &c. nobis dimicandum esset, si terram stare & orbis cœlestes circa illam volvi dicamus, quod ipsis valde absurdum videtur.

§. XII



§. XII.

Qvæ ex elementis componuntur corpora, tam animata, qvam inanimata, varias nobis qvoqve suppeditant meditationes, qvibus medijs ad secretiora illorum naturæ & affectionum pervenire possumus: qvæ autem hactenus nondum indubitato cognovimus. Tenta qvæsò meteororum, imprimis Iridis, parheliorum, paraselenarumqve formationem explanare? Dic mihi qvomodo accidat, qvod corpora qvædam singulari ratione invicem conspirent & afficiantur: qvod contra corpora qvædam se invicem fugiant. Sic ex inanimatis amat ferrum magnetem (n), aurum & cuprum Mercurium (o): Plumbum vero mercurium & magnetem odiò proseqvitur (p). Ex animatis vegetabilibus rütæ amplectuntur ficus (q), pulegium asparagum; poly podium gaudet qvercui adplantari (r). Filices contra averfantur arundines (s), & balsamum ferrum non patitur (t). Perdices attaginesque ex brutis gaudent adesse cervis, serpentes cum vulpibus bus ter vivunt (u): Ciconia autem odit vespertiliones (x): mustela bufonem. Qvod inter homines qvoqve hujusmodi sympathia & antipathia locum inveniat, non est cur ambigamus: nam experimur saepius duos aut plures amicitiam foventes intiomorem, eamqve ad primum oculi conspectum vel sensum excitari, amoremque mutuum esse singularem, qvod non item inter omnes obvenit. De odio qvorundam hominum naturali testatur Hieron. Fracastorius, scribens (z): *Sunt qui neminem ferè amant; nam, quemadmodum inter animalia qvædam sunt, qvæ reliqua ferè omnia odere & prosequuntur, ut serpentum genus; ita & inter homines quidam sunt, qui reliquos odio habent.* Probat hoc Weinrichius (a) exemplô Nobilis cujusdam, qui ad aspectum vetulæ fuerit exanimatus, & aliquando è convivio mortuus elatus. Quid dicam de Sympathiis & antipathiis inter diversa planè rerum genera, e. g. inter vegetabilia & astra: metalla & corylum: metalla & astra, inter animalia & vegetabilia, & similia, qvorum innumera recensere possumus exempla. Sic homines qvidam bufonem, qvidam felem, qvidam serpentes aspicere nequeunt, qvibusdam poma nauseam excitant, qvid? odore adversarios sños latentes cognoscunt. Cum hujusmodi antipathiarum & sympathiarum causas reddere velimus, qvamnam ex multis arripiamus? Alii spiritum mundi, alii astra, qualitates mani-

festas, qualitates occultas alii, quidam sephiroticos influxus, quidam effluvia rerum naturalium antipathias & sympathias excitare afferunt (b)

(n) Vid. Caspar. Peucerum de disinat. p. m. 370. (o) Kenelm Digbareum in seiner Eröffnung vieler Heimlichkeiten der Natur (p) Rolfincium Lib. II. Chimiæ in artis formam redactæ cap. III. p. m. 35. (q) Athanas. Kircherum in art. Magnet. Lib. III. part. VI. cap. I. p. m. 520. Caspar. Peucker. l.c. (r) Kirch. c. l. part. V. cap. I. p. m. 493. (s) eundem Kircherum c. l. Part. VII. cap. III. p. m. 544. Goclenium mirab. nat. p. m. 218. Job. Baptista Portam Lib. I. Mag. Nat. cap. VII. p. m. 14. 15. Lesin. Lemnium de occult. nat. mirac. Lib. II. cap. XVII. p. m. 180. (t) Job. Henric. Alstedium Lib. VII. Encyclop. Part. II. cap. XII. sub Reg. VI. p. m. 421. (u) Athanas. Kircher. de art. magnet. Lib. III. Part. VI. cap. I. p. m. 517. (x) Franzium Tr. II. Hist. animal cap. IX. §. 9. p. m. 386.

(z) In Lib. de sympathiis & antipathiis cap. XVIII. (a) de ortu monstorum. cap. XV. p. m. 139. (b) Consultantur de hisce omnibus &r Excel- lentissimus Job. Eberhard Schöbeling J. U. D. in hist. sympath. & antipath. & M. Job. Michael Schöbimmer in Tr. Physices de curiositatibus physicis.

§, XIII.

Ex his itaque adductis sufficienter colligi poterit, quanta dubia, quam incerta in rebus naturalibus occurrant, Qvod si ab his generalioribus ad specialiora progredi per angustias pagellarum liceret, occurrerent haud leves dubitationes de mineralium generatione ac qualitatibus, de plantarum anima, quam aliqui iis inesse, planè inficiantur, alii, qui attribuunt, de natura ejus convenire non possunt, de bestiis quas anima sentiente praedita omnes ferè Philosophi afferuerunt, Cartesiani autem sensu & perceptione omni privant. Tandem nos fatigarent controversa de animæ in homine essentia, origine, sede, numero, potentiis, deque partibus, quibus homo constat essentia libus capita. Verum hic acquiescentes, cogitationes nostras ad scopum dirigimus, qui sollicitus est media quædam proponere, per quæ dubia rerum naturalium diluere, & veritatem illarum demonstrare nitamur. Sunt autem media illa, SENSUS, RATIO, EXPERIENTIA & SACRA SCRIPTURA, quibus probatis, non dubitamus, quin multis, ex dubiis allatis etiam responderi possit.

CAP. II.



CAP. II. DE SENSIBUS.

§. I.

Cum nullum objectum, puta materiale, ad internos perveniat sensus, nisi mediantibus externis; juxta communem Aristotelicorum regulam: Nihil est in intellectu, quod non prius fuit in sensu, neque veritas de objectis perhiberi poterit, nisi percipientur. Hinc primum locum inter media ad veritates perveniendi jure meritoque concedimus sensibus externis, qui in organa sua extrinsecus posita, per motum objecta obvenientia recipiunt, quae deinceps sensibus internis, mediante communi sensu, communicant. Et haec est prima sensationis species, quem altera sequitur, nempe interna.

(a) *Chaubin c. l. Tit. sensat. Job. Greyd. Inst. Phys. Lib. IX. cap. XVII. p. 30.*

§. II.

Jacobus Rohault (b) sensus externos describens: *sentire* est, inquit, *tangere, gustare, odorari, audire & videre*. Quod ipso quinque sensuum species nobis determinat, ut sunt: Tactus, gustus, odoratus, auditus & visus, quae divisio uti notissima; ita communissima: nihilominus pro majori sensuum numero varias considerationes producit Gassendus (c), subjungit tamen se vulgarem numerum non detrectare. Scaliger vero (d) sextum sensum voluptatem ex coitu constituit, & quidem non inepte, ut dicit Verulamius (e), addens: *Si alia suppeterent organa, & qualificatae perforationes transeuntibus spiritibus permeabiles augeretur numerus sensuum*. Verum dum hypothetica haec sententia sit, sufficit nobis numerus quinarius, utrum sufficienes etiam sint, ad veritatem investigandam, jam videbimus?

(b) *Tract. Phys. I. cap. II. p. 6. Bid. Conimb. 3. de Anim. cap. I. qd. II. Tolet. qd. I. Cardan. Lib. XIII. de Subtil.* (c) *Physic. sect. III. memb. posteriori Lib. VI. cap. 1.* (d) *Exercit. 286. sect. 3.* (e) *in Syl. Syabar. s. hist. nat. cent. VII. n. 694.*

§. III.

Equidem sensibus planè confidendum, hosque sufficientes veritatis indagatores dicemus, si sententia Epicuri nobis placeret, qui



contemptā dialecticā canonem constituit, & sensus pro regula illarum, qvod nunquam fallant, agnovit. Teste enim Diogene Laertio docet in canone suo (f) κριτήρια τῆς ἀληθείας εἴναι τὰς αἰδήσεις, οὐ τὰς προλήψεις, οὐ τὰ πάθη. i. e. veritatem judicandi instrumenta sensus esse & anticipations & affectus. Porrò non procul ab hisce verbis apud eundem Laertium reperitur, Epicurum dixisse: Επίνοιαν πᾶσαν δύο τῶν αἰδήσεων γεγόνασι κατ' τε φύσισιν οὐδὲ αναλογίαν, οὐδὲ ὁμοιότητα, οὐδὲ σύνθεσιν i. e. mentis attentiones omnes à sensibus manant, & secundum incidentiam, & secundum proportionem, & similitudinem, & compositionem. Hinc circa Solem cætraque sidera observabat, illorum magnitudinem tantam esse, qvā oculis videtur, & qvidem Solem manè majorem, qvā meridie apparet (g). Ab hoc errore ut Gassendus Epicurum absolvat, totus est, sed frustrà laborat, uti Menagius rectè annotavit (h). Qvam vero laudem Epicurus ex hoc errore duxit, consignavit Cicero, inqviens: *Epicurus in Physicis totus est alienus* (i). Huic errori addictos fuisse Stoicos idem testatur Cicero (k). *Sensus*, dicens, *Stoicis esse assensus*, *quos qvoniā appetitio conseqvitur, actionem seqvi, tolli omnia si visa tollantur.* (l) Et Augustinus (m) inquit; Stoici Veritatis Judicium posuerunt in sensibus corporis.

(f) In Sitis Philosoph. edit. nob. qvæ An. 92. Amstelod. prodiit. Lib. X. cap. de Epicuro Segm. 31. p. 616. 617.

(g) Cleomed. Lib. I. meteorolog. Laert. c. l. Segm. 91. p. 641. (h) In obserbat. ad Laert. Lib. X. Segm. 91. (i) Citante Menagio l. c. conf. de errore Epicuri Joh. Gerhard Vossium de sectis Philosophorum cap. VIII. (k) Lib. IV Qd. Accad cap. XXXIII. in fine (l) Conf. Laert. Lib. VII. Seg. 49. p. 394. (m) de Cibis. Dei Lib. VIII. cap. 7.

§. IV.

Est itaqve ipsis certissima veritatem inqvirendi norma sensus. Cui vero assentiri planè periculosest ob errores exinde surgentes, de qvibus nobis solus Epicurus sufficiens sit testis. Illam verò planè rejicere æqvè periculosest, dum sensu carentes, caremus ipsô aditu ad veritatem: Hoc à nobis probandum esse, objiciunt nobis Philosophi, tām veteres qvam recentiores, & absurditatis nos arguunt, qvod fiduciam ad Veritates perveniendas in illis ponamus, qui non tantum sāpius fallunt, sed & falluntur. Sic ex Veteribus Anaxagoras Physicus sensus imbecillos vituperat, qvando dicit: *αριστοφάνης*

αριστοφάνης



ἀφανερέτητοι αὐτῶν, ἔδυνατοι εἶσμεν κρίνειν τὸν άληθές. i. e. propter debilitatem illorum (sc. sensuum) non possumus verum judicare (n). Similiter Parmenides Philosophus canit: (o).

Μή σε Θεὸς πολύπειρην ὁδὸν κατὰ τὴν δε βίᾳ θῶ,
Νωμάν ἀσκοπον ὄμμα καὶ ἡχήσαν ἀκουην,
Καὶ γλῶσαν, κρῆνας δὲ λόγῳ πολύδηνιν ἐλεγχον.
Νεκ τιβι communis sensus persuadeat unquam
Quicquam ut fallaces oculi, aut ut judicet auris,
Aut lingua; atratio dirimat discrimina rerum.

Hinc Timon de eo testatur.

Παρμενίδος τε βίην μεγαλόφερνα, τὴν πολύδοξον,
Οὗ ῥ' ἐπὶ Φαντασίας ἀπάτης ἀνενείκαστησι,
Parmenide ingentes animos, viresque potentes,
Qui sensus vanis simulacris fallier inquit.

Pyrrhonici quoque nihil planè tribuunt certitudini ex sensibus, testante enim Eusebio (p) statuunt: τὰ πράγματα ἐπίσης ἀδιάφορα, καὶ αἱ άθητα καὶ ἀνέκειται. Διὰ τοῦτο μήτε τὰς αἰδήσεις ήμῶν μήτε τὰς δόξας ἀληθεύειν η̄ ψεύδεσθαι. Διὰ τοῦτο δὲ μηδὲ πιστεύειν ἀσταῖς δεῖν. αἱλλαὶ αἴδοξάς καὶ αἰλινεῖς καὶ ἀκροδάνης εἶναι, τῷ δὲ ἑνὸς ἐκάστη λέγονται, ὅτι δὲ μᾶλλον ἐστιν, η̄ καὶ ἐστιν καὶ σὸν ἐστιν γάρ τι σὸν ἐστιν. Res ex aequo indifferentes certas injudicabiles, adeò nec sensus nec opiniones nostras verum aut falsum dicere. Ergo nec ipsis fidem habendam, sed opinatio- nis expertes manere nos debere sine inclinatione sine motione de quaque singula redicentes non magis est quam non est. Gellius (q) de hisce ita loquitur. Quos Pyrrhonios appellamus, i.e. græco nomine σκεπτικοὶ nominantur, nihil decernunt, nihil constituunt, ac nec videre quoque plane quicquam, neque audire sese putant, sed ita pati, affici, quasi videant vel audiant. Noti sunt & alii quamplurimi ante & post hos, qui huic sententiæ assensum præbuerunt, ut: Physici à Thalete profeti (r), Stilpo Megarensis (s), Zeno, Empedocles (t) Xenophanes (u) Democritus (x) aliquique (y) Ex recentioribus idem placuit Cartesio nobili Gallo. Hic enim ita loquitur (z) Quicquid haec tenus ut maxi- mè verum admisi vel à sensibus, vel per sensus accepi, hos autem inter dum fallere deprehendi, ac prudentia est, nunquam illis plane confidere, qui nos vel semel deceperunt. Cuius quo faciunt Sectatores ipsius:

Clau-



Claubergius, Autor Artis cogitandi, Wittichius, Malebranche, Anton Le Grand. aliique quam plurimi, quos omnes recensere hic loci non est, dum de argumentis illorum solliciti sumus.

(n) Vid. hæc apud Sextum Empiric. Lib. VII. aduers. Mathemat. p. 153. (o) Laer-
tium c. l. Lib. IX. Segm. 2. p. 562. (p) Lib. XIV. c. VII. Præp. Eßang. (q)
Noct. Attic. Lib. XI. cap. V. (r) Sextum Empiric. c. l. (s) Eusebium
c. l. (t) Cic. lib. IV. Acad. q. 8. (u) Euseb. Præparat eßangel. Lib.
XIV. cap. XIIIX. (x) Cicer. l. c. Aristot. Lib. IV. Metaph. cap. V. (y) Lært.
c. l. Plutarchum de Placitis Philosophor. Grægium in specim Philosoph. Be-
teris. (z) Cartesium meditat. I. p. 2.

§. V.

Sensus falli & fallere juxta ipsos certum est, nec ullus ab errore iber, id quod experientia teste comprobatum tenent. Qvanquam enim oculos reges quasi dices, cæteris eminentiores & subtiliores, ideoque ad veritatem dijudicandam aptissimos, nihilominus in errore cum cæteris pari passu ambulant, quinimo & in hoc cæteros superant: Nam in quantitate, figura, motibus coloribusque decipiuntur, quod jam ostensuri sumus. Circa quantitatem considerare vellem minutissima ipsis acaris minora animalcula, quorum esse velut in pulvisci-
lo quodam minimo totum est, viventia, alimenta quærentia, progre-
dientia ad quæ peragenda à Deo T. O. M. membris donata esse oportet. Sed observet quæso oculus tuus illorum quantitatem, nonne confitendo, ipsos vix videri, fateris eò ipso infirmitatem visus tui. Si itaque minimorum quantitatem oculis tuis scrutari nequeas, in figuris illorum determinandis necessariò quoque errabis. Quæ verò in minimis accident, circa majora emendari oportebat, ast & in his vi-
sus maximè impingit: quod experimento ex Chalcidio in Timæo Pla-
tonis de turri quadrangulata &c. declaratur, quæ rotunditatem præ-
se fert cylindri, item ex obliquo visa porticus in exile deficit oculorum depravatione: Sic etiam stellarum ignis exiguis appareat, atque ipse Sol multis partibus quam terra major, intra bipedalis diametri ambitum cernitur. Communis deinceps error est, quem visus noster circa motum committit, & nihil illo frequentius contingit. Audiamus hac in re Malebranche (a): Nos, inquit, visu nostrō circa corporum motum decipi multoties agnoscimus, nec raro, quæ nobis moveri videntur, quie-
scunt, & vice versa, quæ videntur quiescere, moveritamen sepius con-
tingit.

tingit. Cum v.g. navi velociter & æquabiliter vectæ insideo, terræ & arbores recedere mihi videntur, illæ sc. moveri videntur, dum navis quiescit. Pariter homo quispam super planeta Martis constitutus, Solem, Terram, cæterosqve planetas cum stellis fixis 24 aut 25 horas, qvō temporis spatiō Mars circa axem suum movetur, circulum suum agere, visu suō judicaret: Terra tamen, Sol, stellæqve circa hunc planetam non feruntur, adeò, ut homo ille quiescentia moveri crederet, ipseqve dum moveretur, quiescere sibi videtur. Nec est cur dubitemus, qvin visus noster etiam circa colores decipiatur: Observamus enim pratum pluribus flosculis albis ornatum, inter infinitos herbarum ramusculos, eminūs album solum apparere (b)

(a) Lib. I. de Inq̄sirenda Geritate cap. VIII. p. 36. (b) Robault. Tract. Physices I. cap. XXXII. §. X. p. 338.

§. VI.

Hæc visum solum feriebant, ex qvibus cæterorum sensuum errores nondum liqvent. Verùm enim verò, qvò paucis cæteros degustemus, Tertullianum (c) tantummodò consulamus, qvi, ubi de visus deceptionibus locutus esset, ita pergit: *Perinde auditus fallacie reus: ut, cum cœlestē murmur putamus, & plaustrum est; vel tonitru meditante pro certo de plaustro credimus sonitum*: Sic & odoratus & gustus arguuntur, siqvidem eadem unguenta, eademq; vina posteriore quoque usu depreciantur. Sic & tactus reprehenditur: siqvidem eadem pavimenta manibus asperiora, pedibus leviora creduntur, & in lavacris idem calidus lacus ferventissimus primo, deinde temperatissimus renuntiatur, adeò sic fallimur sensibus, dum vestimus sententias (d).

(c) Lib. de Anima cap. 17. (d) Conf. Nemesium cap. VII. de nat. hominis.

§. VII.

Qvanti momenti objectiones istæ sunt, perspiciendum jam est. Prius verò conditiones septem, qvarum Vir de Ecclesia ac Re Literaria Rigensi meritissimus, M. David Caspari, Præceptor meus nunquam non satis devenerandus, in Disput. qvadam de Norma Physices (e) fecit mentionem, meas hic facere licebit; Qvibus cognitis, difficile neutiquam erit, objectionibus sufficienter occurrere. Ita enim Vir Celeberrimus accuratissimè præsupponit, ut sensibus sua constet certitudo, (i) Organon (tām commune, qvod est spiritus animalis, qvām C proprium

proprium v.g. oculus, lingua, recte affectum. (2) Objectum idoneum, quod sensum moveat per speciem propriam. (3) Justa objecti magnitudo, quae manifesta qualitate sensorium imbuat. (4) Debita objecti mora, quoniam in transitu velociori multa non apparent. (5) Situs in objecto commodus, cum non parum intersit, à quā parte objecti sensus incipiat. (6) Medium naturaliter se habens, non alienā qualitate aut dispositione immutatum. (7) Distantia & intervallum debitum, nam nimis remota aliter apparere solent, ut sunt. Quod jam minutissima acaris minora animalcula non videantur, oculorum culpa non est, sed animalculorum, quae subjectum illud sensorium manifestā qualitate non imbuunt, adeoque ab infirmitate objecti ad falsitatem subjecti minimè argumentari licebit. Sic distantia impedimentum est, quod oculi figuram turris rectam distingvere non valeant, sed rotundam locō quadratae apprehendant; nam oculus angulos eminus discernere nequit, dum æqualitas circumfusi aëris pari luce vestiens angulos, obliterat lineas, ut sic angulis quasi detractis, reliquum corpus rotundum ipsi videatur (f). Eadem distantia facit, ut visui Sol, cæteraque astra, justā magnitudine minora apparent. Deinceps non ex oculorum depravatione, sed ex obliquo visa in exile deficit porticus, quod non fieret, si rectō locō oculis illam exciperem. Porro, cuius circa motum error sit, facile patet. Homo enim navi insidens, non subjectum quod movetur, i.e. navis, pro objecto elegit, sed terras, arbores, quas relinquit, considerare vult, veloci verò navis cursu recte illas attendere nequit: hinc fit, quod seposito objecto movente arbores progredi putet: Si verò oculos penes navem demittat, ut subjectum quod movetur eō melius capiat, ab errore suo se liberabit. Simili responsione alterum exemplum excipimus. Causa verò quod in versicoloribus pratis unum tantum apprehendat visus, distantia objecti iterum efficit. Nam, si illud è pluribus constet partibus, colore variis, certum est, plurimas ex istis partibus idem filamentum simul attingentibus, eum qui coloris erit magis diluti solum perceptum iri, quia filamentum id tunc secuturum est motum solum ab ea parte sibi impressum. Quod de re ipse Rohault prolixus est. (g)

(e) Anno 1683. die 15. Maii in Gymnasio Rigeni habita. §. XXIII. (f) Anton. Le Grand. Hist. natural. §. 2. p. 2. (g) Rohault. c. l. pag. 237. seq.

§. VII.



§. VIII.

Illud qvod §. VI. ex Tertulliano adduximus, jam ejusdem respon-
sione delibabimus. Ita enim loquitur : *Auditum quid aliud decipiet,
quam sonorum similitudo? Etsi postea minus spirat unguentum, & mi-
nus sapit vinum, & minus lacus fervet, in omnibus fermè prima vis tota
est. Ceterum de scabro ac lèvi meritò manus ac pedes tenera scilicet &
callosa membra dissentunt.*

§. IX.

Verùm enim verò, dum hæc qvæ ad refutanda Adversariorum
argumenta adduximus, firma solidaqve nobis videntur, talia esse Car-
tesius non credit. Hic enim sibi ipsi has exceptiones format : *Sed
forte, quam interdum sensus circa minuta quædam & remotiora nos
fallant, pleraque tamen alia sunt, de quibus dubitari planè non potest,
quamvis ab iisdem hauriantur. Jam me hic esse, foco assidere, hyema-
li togâ esse induatum, chartam istam manibus correctare & similia &c.*
Ad qvas ita respondet: *Præclarè sanè tanquam non sim homo, qui sole am
noctu dormire, & eadem omnia in somnio pati, veletiam interdum mi-
nus verisimilia, quam quæ isti vigilantes : quam frequenter vero usita-
ta ista, me hic esse toga vestiri, foco assidere, quies nocturna persuadet?*
*Cum tamen positis vestibus jaceo inter strata. At qui nunc certè vigi-
lantibus, pergit Des Cartes, oculis intueor hanc chartam, non sopitum
est hoc caput quod commoveo, manum istam prudens & sciens extendo
& sentio, non tam distincta contingerent dormienti, quasi scilicet
non recordor à similibus cogitationibus me alias in somnis, fuisse delu-
sum. Quæ dum cogito attentius, tam planè video, nunquam certis in-
diciis vigiliam à somno posse distingvi, ut obstupescam & ferè hic ipse
stupor mihi opinionem somni confirmat.* Ast respondemus Car-
tesio : *Præclarè sanè! tanquam non esset discrimin inter dor-
mire & vigilare, imaginari & actu videre. Illud dormientibus, am-
bo vero vigilantibus competit. Dormientes videntur sibi fo-
co assidere, digitum igni imponere, ignem urere, dolore digitum
affici. Vigilantes verò reverà omnia sentiunt, persuadet saltem ali-
quando quies nocturna, & revocat sibi phantasia imagines & actiones
in somniis, qvas recepit ex sensuum operatione diurna, & ita rectè de-
lusum se dicit Cartesius. Vigilans verò non ex persuasu sed ex ipsa
actione & passione semper omnia, quæ percipit, dijudicat: adeò non*



per sensus, sed per imaginationem & phantasiam in somnis fallimur; qvæ duo probè sunt distingvenda, ne unum cum altero confundamus; phantasiam interdum falli & fallere non diffitemur: sensus vero nunquam, si objectum, subjectum & medium se ritè habent.

§. X.

Id adhuc notandum, qvod difficultates qvædam circa objecta tubis opticis tollantur: qvorum alter Telescopium, qvō objecta remota appropinquantur: Alter microscopium, qvō objecta propter parvitatem inperceptibilia augentur, nominatur. Sic per Telescopium novos in cœlo motus, novas stellas, nova meteora nobis sunt detecta. Per microscopium autem parvus mundus planè novus ostenditur, Sit nobis exemplum pediculus, fœdissimum aliàs animalculum: Qvis figuram ipsius, membra, &c. antea ritè demonstrare potuit? jam omnia minutissima quoque illius per microscopium observantur. Horridum profectò aspectu appetet, uti Hookius ipsum delineari curavit in Micrographia sua, videre etiam est in Ephemeridibus eruditorum (g). His itaque visus juvatur: auditus verò cornibus acousticis & tubis stenterophonicis, de quibus Athanasius Kircherus nos informare potest. Concludimus tandem rectè sensus esse medium indagandi veritates, quanquam non magisteriale, interim tamen ministeriale; apprehendit quidem verum, ratio autem concludit ipsum verum apprehendisse. Erit itaque ratio alterum medium ad veritates perveniendas, ad quam jam progredimur, visuri, quousque & hæc admittenda fuerit (h).

(g) Ad annum M. DC. LXVI. p. m. 572. (h) Consule omnino dissertationem de Sensuum Uso in philosophando Gerardi de Uries, Professoris Philosophiae Ultrajectini annexam Exercitationibus Rationalibus de DEO pag. 358.

CAPUT III.
DE
R A T I O N E.

§. I.

HActenus de sensibus, qui circa objecta quævis materialia occupati sunt, ut ea, quatenus se repræsentant, sine ullo errore recipiant: quibus

quibus receptis officiō defuncti quiescunt : Interim operationes suas circa eadem exercet ratio, de qua in præsenti. Quid autem ratio sit? antequam dicamus, notemus prius inter varias rationis acceptiones, quid non sit. Philosophis alia ratio est metaphysica, quæ idem, quod essentia, sic ratio nigri est nigredo, quæ verò heic loci locum non habet; Alia moralis, quæ apud Philosophos Morales quandoquidem practica tota est, idem est quod prudentia, vel ad eam maximè accedit, quam etiam hic non attendimus. Alia tandem est Logica, quæ apta est responsio ad quæstionem cur? Hanc planè non rejicimus, cum rationis hic considerandæ operatio est & sermocinatio vocatur, cuius animam Verulamius (a) dicit rationem nostram; quâ à brutis differimus, & tām divinarum quām humanarū rerum reddimur participes. Quid hæc sit? ut præstantissimi quidam Philosophi dicunt, non debet dici, imo nec potest: est enim illa nobis satis superque nota, quorum hoc insigne est rationales esse. Interim pneumatici quidam describi posse afferunt, *complexionem multorum principiorum in homine, quæ successivè à mente possunt intelligi, & ex quibus ab eadem fieri possunt deductiones.* A quibus non longè absunt, qui rationem dicunt esse intellectum quatenus discurrit, vel motionem intellectus ad conclusionem (b). Nos à vero haud aberrabimus, rationem dicentes esse facultatem mentis, quæ ex sensibus cognitionem plurimarum dicit initia, & ex principiis ab intellectu traditis conclusiones suas colligit per ratiocinationem. (c). Ratiocinatio enim est rationis operatio, quæ ex pluribus diversis unum judicium producit, quod aut verum, aut falsum erit. Falsum, si ratio præjudiciis corrupta, de re aliter judicat, quam in se est. Verum autem, quando res prout sunt, in se speculatur & cognoscit, neque præjudiciis corrupta de iis statuit aliter quam reverà sunt. (d)

(a) In augmento scientiarum Lib. VI. Cap. I. p. 144. (b) Vid. Chauſin in Lexico philosophico Tit. Ratio. (c) Conf. Joh. Bapt. Du Hamel de mente humana edit. Paris. Lib. IV. cap. I. S. XIII. p. 437. (d) Chauſin c.l.

§. II.

Cum autem ratio corrupta sit, & præter præjudicia aliis quoque laboret defectibus nempe mutabilitate, cœcitate (e) &c. non posse fieri videtur, ut unquam idonea reddatur ad veritatem dijudicandam, ad quam facultas ingenua & planè perfecta requiritur (f), qualis ra-

C 3 tio qui-

tio qvidem ante lapsum fuit, post illum verò non talis permanxit,
*neḡ sp̄es illa ait Petrus Poiret (g), ut lumen suum unquam recipiat à
Deo, qui ab illa ratione jam alienissimus est, nec illi concedit & conser-
vat lumen: adeoq̄e tutissimum erit rationem planè rejicere, qvod
Pyrrhonii seu Sceptici intendunt.* Verūm, scimus qvidem rationem
corruptam esse, scimus tamen etiam non planè extinctam, qvanquam
illud lumen, qvo antea pollebat, nūnquam recipiat, tantum tamen
animo ex singulari gratia Deus conservavit, qvō principia generalia
tum theoretica tum practica cognoscere, & ex illis alias innumerā
veritates, tum circa Deum tum circa res ab ipso creatas deducere
valet.

(e) *Conf. Augustin. Lib. II. de Lib. Arbit. cap. XIV. f. B. Du Hamel c.l. Lib.
II. cap. IV. §. IV. p. 172. seqq.* (f) *Vid. Platonem in Timao.* (g) *Po-
trum Poiret Lib. II. de erudit. superficiaria §. VII. p. 111.*

§. III.

Varios autem gignere errores rationem non diffitemur, si ad al-
tiora qvæ ipsam transcendunt, tendat. Cum e. g. scrutari vellet æter-
nitatem, Dei omnipræsentiam, felicitatis in cœlo obtainendæ condi-
tionem. In his enim omnino deficiet & nihil concludet. Quemad-
modum etiam in illis, qvæ infra illam sunt, qualia sunt Peripatetico-
rum spatia imaginaria extra mundum posita, horum magnitudo, figu-
ra, immobilitas, divinæ in iisdem essentiæ præsentia, operatio, pulvi-
sculorum in aëre volitantium quantitas, figura &c. Qapropter se
compescat necesse est, ne ad hujusmodi similia prorumpat. Si vero
veritatem elicere velit ratio, maneat in iis, qvæ intra suam sphæram
continentur, & modulo suo accommodata sunt. Talia sunt: Cœ-
lum, aër & tellus, & qvæ hæc comprehendunt, siqvidem illa evidētia
comitatur, qvæ à ratione cognosci potest. Hinc Malebranche (h) non
incongruè distingvi vult res, qvæ evidentiam in se habent, ab illis qvæ
evidentiâ carent. Inter has numerat mysteria, qvæ fidei sunt non ratio-
nis, inter illas verò res naturales, qvæ rationis sunt; Verbis hisce utitur:
*Mysteria fidei à rebus naturalibus sedulò distingvenda sunt, fidei & evi-
dentiæ pari summissione cedendum est: at in rebus fidem spectantibus
nulla querenda est evidētia, sicut in rebus naturæ.* Evidētiam verò in
eo consistere dicit, ut quis singulas partes & relationes, qvibus de obje-
cto qvopiam judicari tutò possit, clarè & distinctè percipiat (i), ut au-
tem



tem ita percipiat, observari debere hanc regulam: Ne assensum plenum unquam præbeatqvis, nisi propositionibus adeò evidenter veris, ut illum sine interno qvodam cruciatu, tacitoque rationis murmure non possit denegare. Qvō canone neglectō, existimat, impossibile futurum esse, ut aliquā perspiciatur evidentia, à qva vix unquam separata reperiatur veritas: ut præconceptæ etiam opinones exuantur, qvas lumen veritatis subire nequit. (k)

(b) Malebranche de inquirenda veritat. Lib. I. cap. III. §. 2. p. 14. (i) Idem ibidem cap. II. §. IV. p. 10. (k) Idem c. I. cap. III. p. 13.

§. IV.

Cūm itaqve ratio ad veritatem indagandam valeat, si in terminis suis se contineat: Nescio qvā conscientiā illam destruere aggrediantur Viri erudit. Præ aliis præprimis Petri Poireti recentissimi Scriptoris sententiam hic exponere nobis non displicet, qvi magna cum cura, rationem planè suspendendam esse in Veritatis inquisitione, contendit. Pyrrhonismum seu Scepticismum renovare eum contenderemus, nisi contra illum disputaret ipse. Interim, si hypotheses ejus cum Helmontii convenire dicamus, nulla ipsi fiet injuria. Utrique enim à lumine qvodam intellectuali, qvod Deus infundat, veritates rerum derivandas esse somniant. Ne autem qvis credat, Petrum Poiret in rebus spiritualibus tantum rationem captivandam esse statuere, in antecessum verbis ipsius illud aliter demonstrabimus. Ita enim loquitur: (1) *Qvod ad rerum naturalium cognitionem veram, ad quam se itidem per rationis viam, ad hoc, ut credunt, dat am, per venturos putant, major adhuc est fallacia: ipsam enim penitiorē rerum notitiam ultimumque fundum ac primum ortum per eam detegere, aut sibi representare verē, id à vero longē alienum est: rerum namque fundus & ortus vividus est, nec non centralissimus, tangens immediate vividos Dei actus, qvos præter Deum, atqve illos, qvibus Deus sese lumine suō communicat, concipere possunt nulli: representantqve intimas & admirandas Dei virtutes, simplices atqve complicatas rerum omnium causas & origines; qvas proinde solus Deus, & ii, in qvibus Deus lumen & actum suum diffundit, concipere possint. Qvod si qvis neqve hæc generalia, qvæ profero, concipere se dicat, hoc ita habeat, me jam de sexto qvodam vel adhuc superiore naturæ sensu loqui, cuius,*

qui



qui experientiam non habent, neque ejus ideam specialem sibi formare possunt.

(l) Poiret Lib. II. de Erudit. superfic. p. 12.

§. V.

Hæc in antecessum: ante ipsum Helmontius docuit, mentem nostram, ut Dei simulacrum proximè referat, debere esse non rationalem, sed intellectualem. Ratio enim, ait (m), non est pars aut potestas animæ sed velut peregrina hospes ab esse mentis planè decisa & neutra, est caduca mortal is que, imo cum morte nobis advenit, in naturæ corruptione. Intellectualis autem cognitio (n) est lumen, quod anima non secus ac oculus in speculo se ipsam intellectualiter speculatur, atque in isto speculo proprii intellectus essentias rerum nudas ac denudatas, sine distinctione verborum aut idiomatum, ita ut nullum auxilium accipiat ab ullo creato, neque à corpore, Ratione, aut potestate ulla phantastica. Istud lumen (o) non contingit absque gratia & clementia divina, sed divino auxilio opus habet & quidem singulari. Huc usq; Helmontius; Audi nunc iterum Poiretum sic scribentem (p): Si Deum, si divinas res, lumina, objecta, affectus, sensus, vias, & quæ immensa hujusmodi sunt in rebus spiritualibus & internis, rationis tuae activitate atque Ideis representare, tibi que ita opem adferre velis: miserandis & operosis chimæris te ipsum miserè circumvenis, etiamsi tibi soli plus, quam omnibus simul hominibus suppeteret ingenii supplex amplissima. At, si oculo intellectus activi clauso, passim Deo obvertas intelligentiam, is vel uno momento omnes, ad quascunque volet, & quando volet, divinitatis veritates atque thesauros perfectè tibi & vivide suo lumine detecturus est. Ratio (q) enim facultas est corruptissima, atque etiam limitatissima, & admodum parvæ extensionis, est umbratilis, nec non ita superficiaria accidentariaque menti creatæ, ut mens potuerit æternum perfecta, atque beata esse, ut ut rationis facultatem nunquam habuisset. Qvod autem (r) in mente ratio hæc orta sit, factum ex beneplacito Dei, qui præter vividam æternitatis, sanctæque sue Trinitatis nil largiri præterea mentibus potuisset, ipsæq; hæc solâ dotatâ perfectione & felicitate essentialissimâ (hoc est maximè intima, completa, plena & solidissima) præditæ, & perfectissime satiata fuissent: hinc placuit Numini Liberalissimo, & accessoriæ superficiariæq; nonnullas capacitates sive facultates menti donare, quibus illarum Dei de rebus externis idea-



idearum, illorum Dei arbitrariorum ludorum esset æmula & repre-
tatrix. Intellectus (s) autem passivus est tantus, qvanta Dei in ipsum
agendi potentia, neqve potest in errorem inducere, qvippe passivus cum
sit, à Deo in errorem agi non potest. Hinc concludit Petrus Poiret (t)
ita : Clarum est, præcipua & ferè omnia bona tām divina, qvām natu-
ralia consistere, & perfici in passivis, & si in libertate ejus activa posita
sit ea vel admittere vel rejicere. Atqve adeò liqidum est delirare il-
los, qvi nolunt nisi excitatis activitate suâ ideis sapere, qviqve irrident
eos, qvi sapientiam & cognitionem aliundè qvām à se exspectant. Qva
in reprofectò imitantur tenebriones, qvi in tenebris nî nisi activitate
manuum palpando & contrectando cognoscentes, rejicerent omnes
vias aliis modis objecta percipiendi, & verò irridenter cunctos, de re-
bus per lumen oculosqve passivō planè cognoscendis loquentes.

(m) Helmontius in Venatione scientiarum n. VIII. IX. (n) Id. ibid. n. 43.

(o) Id. ibid. n. XLIX. L. LII. LIII. (p) Poiret. de Geramethodo inveniend.

Berum P. II. p. 89. (q) Id Lib. II. de erudit. superfic. p. 110. (r) Id.

Libr. I. P. I. de erud. solid. p. 11. (s) Id Lib. II. de erudit. superfic. p. 116.

(t) Id. de Geramethodo inveniendi Berum P. II. p. 89.

§. VI.

Si primam hujus sententiæ originem scrutemur, procul dubio
inveniemus in Arabum Scholasticorumqve paucorum doctrina de
intellectu agente hominis, qvem Deum esse aut intelligentiam ali-
quam illi perhibuerunt, à qvo intellectus passivus, qvem singuli
habent homines lumine affuso illustretur. Si finem ejus pensi-
temus, erit enthusiasmus philosophicus, & ab hoc facili lapsu
theologicus, qvem qvidem utrumqve sibi impactum ægerrimè fert
Poiret (u), attamen nihil aliud ferè, qvam suam perpetuam cantile-
nam repetit, se non rectè intelligi, ac calumniis onerari.

(u) In epistola ad Autorem bibliothecæ universalis p. 444.

§. VII.

Perhibemus itaqve adhuc rationem ad veritatem indagandam
omnino concurrere: siqvidem & omnes ferè Philosophi, qvi à sensi-
bus secedunt, nobis hac in parte assentuntur. Sic Anaxagoras ra-
tioni tantum dedit judicare de rerum veritate (x). Qvod de Pythagoreis
etiam affirmat Jamblichius (y), & Theodoreus de Epicharmo

D

Pytha-

Pythagorico (z). Parmenides dicit: *μετανοια λόγω πολύδην ελεγχος*
i.e. ratione dirigi discrimina rerum (a) Socrates nulli unquam cre-
dere potuit quam rationi (b). Et Cicero (c) de Platonicis scribit quod
statuerint: *quamquam oriatur à sensibus, non tamen esse judicium ve-
ritatis in sensibus: mentem volebant rerum esse judicem, solam cense-
bant idoneam cui crederetur (d)*. Quid? quod Cartesius (e) & Asse-
clæ ipsius (f) solâ ratione veritatem acquiriri afferant, in aprico est.

(x) *Sid. Sext. Empiricum Lib. VII. aduersus Mathem.* (y) *In vita Pythagoræ
cap. XXXII.* (z) *Theodor. Lib. I. de cur. Gr. aff.* (a) *Consule de Par-
menide Laertium in vitis Philosophorum Lib. IX. Segm. 22. p. 562. Sext. Em-
piric. Lib. cit. p. 159* (b) *Uti Plato testatur in Critone p. 46. Sid. & Theo-
doret. l.c.* (c) *Lib. I. Acad. qd. conf. & Lib. IV. Acad. qd. 142. it. Augu-
stin. Lib. VIII. de cibitat. Dei cap. VI.* Tandem præprimis & ipsum Plato-
nem in *Phædone*. p. 65. (d) *Plures ex heteribus huic sententiae addictos.
Philosophos & Scriptores Sid. apud Abrahamum Graevium in Speciminiibus
Philosoph. Veteris Lib. II. cap. V. p. 183. seqq.* (e) *Cartes. 2. Princip. §. I. &
passim.* (f) *Videantur Malebranche de inqvirenda Veritate. Du
Hamel de mente Humana & reliqui qdā plurimi.*

§, VIII.

Quomodo autem ratio in veritatis inquisitione se gerat, paucif-
simis adhuc annotemus. Cum enim mens humana in scientiis pati-
tur à sensibus, qui à rebus materialibus resiliunt, idcirco (I.) Res à sen-
sibus ritè oblatas, ritè apprehendit: (II.) Rerum apprehensarum
causas inqvirit. Sic: postquam ratio à sensibus accepit magnetem.
ferrum attrahere, causas Virtutis hujus scrutatur, num à forma sub-
stantiali, aut qualitatibus occultis oriatur; num verò ex principiis me-
chanicis. Hinc (III.) res cum aliis confert, hoc est, quamnam con-
venientiam inter illas deprehendat. Sic inter magnetem & ferrum.
Hanc intercedere convenientiam invenit; quod magnes participet de-
ferri materia, nam ex portione metallica seu ferrea & lapidea magnes
constat, siquidem in omnibus ferri fodinis etiam reperitur. (IV.) Ju-
dicat de rebus. Ferrum quidem attrahit magnes, attamen forma
substantialis causa vis magneticæ esse nequit, quia absque mutatione
ejus ferro ac magneti accidit, neque qualitas occulta, quae nihil ex-
plicat (h). Ergo concludit (V.) ex Mechanicis principiis vis illa
deduci potest; & quidem, quod multis probable videtur (i) ex ma-
teriæ striatæ transitu, qualis continuo per globum telluris transit, &
per

-per unum polum ingrediens ad alterum exit, adeò, si in transitu
reperiatur corpora, qvæ proportionata sunt poris, per illa transiens
eadem ita inclinat ac rapit. Hujusmodi operationibus ratio ad ve-
ritatis inquisitionem utitur, nec deest, qvin multas hōc modō nobis
detegat veritates, qvas per solos sensus non accepissimus. Interim
non negamus, qvod ratio qvam s̄æpiissimè ab experientia probatio-
nes suas petere debeat, adeoqve non solis sensibus, non solâ ratione
omnes veritates in rebus naturalibus acquirimus, confert etiam mul-
tum experientia, qvam nisi admitteremus, qvanta forent, qvæ igno-
raremus. Convertimus itaqve nos ad tertium medium, ad expe-
rientiam nempe, per qvam ad veritates multas pertingere possumus,
visuri qvousqve & hæc se extendat.

(h) *Cunf. Du Hamel Phil. Vet. & Nob. P. IV. Disp. III. Q. I. Conclus. II. p. 553.*

(i) *Cons. Virum Excellent. Dom. Joh. Eberhard. Schöbeling f. U. D. in Sym-
pathiar. & antipath. Historia. S. XXVIII. p. 25. Du Hamel de corporum
affectionibus Lib. II. cap. VI. p. m. 458.*

CAP. IV. DE EXPERIENTIA.

§. I.

VIndicata hactenus sunt duo media ad veritates pervenienti sensus & ratio, qvæ indissolubili vinculo adeo cohærent, ut alterum sine altero varias veritates detegere nequeat. Qvod enim sensus recipiunt de eo propriâ virtute non judicant, nec possunt, sed ratio illa virtus est, qvæ res sensibus objectas recipit, veritatesqve illarum judicat, nunquam autem sine causa; hoc est, nunquam hoc vel illud verum esse perhibet nisi causam, cur verum sit simul superaddat. Qvoniam autem s̄æpiissimè ratio solô discursu ad veritatum causas pertingere non valet, neqve viri alicujus autoritate, neqve antiquitati, veritates absolute superstrui physica permittit, ideo experientiâ qvam plurimas confirmat veritates. Idqve rectè: *Veritas enim non à felicitate temporis alicujus, qvæ res varia est, sed à lumine naturæ & expe-*

D 2. rientia

rientie, quod aeternum est, petenda est. Ut ergo eleganter monuit Angliae Cancellarius Verulamius (a), Hinc etiam non incongrue dixit qui dixit; experientia in physicis tantum obtinet, sed & necessario obtinet. Et Du Hamel (b) sibi facile persuadet ad rerum sensibilium notitiam, non posse nisi per observationes & experimenta perveniri. *Hæc esse velut principia naturalis scientiæ, quibus, si destituitur vaga est & incerta, loquacitatis multum habet.* Assumimus itaque veritates physicas non per sensus tantum, non per rationem tantum detegi: sed & experientiam quamplurimum ad illas conferre, quam si seponeremus, cum Verulamio merito desineremus mirari, in spatio scientiarum nullus progressus fieri. (c)

(a) In nobo Organo Lib. I. Aphorism. 56. p. 287. (b) Du Hamel Lib. III. de mente humana cap. VII. §. II. p. 349. (c) Verulam. c. l. Aphorism. LXXXII. p. 302.

§. II.

Quare experientiam, hoc est, cognitionem, quæ nullum docente per usum contingit (d), tertium medium ad veritates dicimus. Per usum dicimus, ne quis omnia, quæ casu contingunt, ad experientiam traducat. Valde profecto erraremus, si hujusmodi experimentis certissimam tribueremus fidem, saepissimè magis magisque implicaremur dubiis, cum contingentium autoritate veritates stabilire tentaremus: Non displicet nobis, quod Verulamius (e) hujusmodi experimenta scopas dissolutas, meram palpationem vocet, *quali homines noctu utuntur, omnia pertentando si forte in rectam viam incidere detur.* Requirit vera experientia diligentiam indefessam, ut experientia rite quaerantur, varientur, iterentur; Requirit Judicium acutum, ut certe ordine digerantur, applicentur, axiomata ex iis edificantur, ex quibus deinceps nova sobolescant experimenta. Requirit ut ratio præluceat & viam commonstret, ne temerè fiant & præpostere experimenta (f). Et sic vere Jacobus Horstius inquit (g). *Experimentum non sit, nisi ad minimum ter quaterve eodem modo factum fuerit. Experimentum vero probatum habebitur, si septies vel pluries experientia confirmavit.*

(e) c. l. p. 301. (f) Conf. Du Hamel c. l. Lib. III. cap. VII. p. m. 351. (g) in epist. medicin. philosoph. p. 458.

§. III.



§. III.

Hujusmodi experientiam vulgo dividi in propriam & alienam deprehendimus. Utramque conjunctam ad scientias & veritates acqvirendas idoneam judicant. Certum quidem est, nos magis confirmari in iis, qvæ propriō marte experimur, sed qvam angustis cancellis scientia nostra ita includeretur. Sæpiissimè siqvidem accidit, cum vix, imo anteqvam animos nostros ad experientiam applicaverimus, ut mors immatura nos obruat, & sic absqve solida & confirmata scientia qvamplurimi abripiuntur. Etsi aliquis vitâ longævâ, opibus sufficientibus, & optimâ semper valetudine frueretur, nunqvam ob infinita & varia rerum phænomena, experientiæ suæ finem imponeret, ut nihil inexperti posteritati relinqveret. Ast idcirco animum ab experientia abstrahendum non esse, sed eò avidius ipsi inhærendum putamus, ut tantùm experiamur, qvantùm vita, opes & judicium admittunt. Maximum enim obstaculum progressibus scientiarum ponere desperationem hominum & suppositionem impossibilem queritur Verulamius (h). *Solent, inquit, viri prudentes & severi in hujusmodi rebus plane dissidere: Naturæ obscuritatem, vitæ brevitatem sensuum fallacias, judicii insfirmitatem, experimentorum difficultates & similia secum reputantes.* Cum autem experimentis operam dare volumus, cavendum est, ne circa unius considerationem, ut Gilbertus circa magnetem, Chymici circa aurum, aut alii circa maris fluxum & refluxum &c. per totum vitæ currículum subsistamus. Nullus enim rei natura aperta erit aut cognita, nisi cum aliis comparetur, qvæqve in una re se plerumqve occultat, in alia se manifestum facit (i). Celeberrimus Franciscus Redi è scrutatoribus naturæ haud ultimus, qvanqvam aliàs accuratus satis sit, nescimus tamen, num hac in re se satis dextrè explicuerit, qvando in oratione de viperis dicit: *In dies magis magis que confirmor in meo proposito, me nolle fidem dare rebus naturalibus, præterquam in eo, quod ego propriis meis vi- derim oculis, & nisi per iteratam, & rursus repetitam experientiam idem confirmatam veriat.* Qvod propriæ experientiæ fidat, magisq; illi qvam alienæ, hénè habet: qvod alienam virorum solertissimum & fide dignorum non admittat, & existimationi aliorum derogat, & artium incrementis officit. (k)

(h) In novo organo Propos. 92. p. 308

(i) Consule hic iterum sæpiissimè cita-

tum Angliae Cancellarium c. I. Propos. 70. p. 294. Et ex illo Du Hamel de
mente humana. Lib. III. cap. VII. p. 352. (k) Conf. Virum Execellent. Jo-
bannem Christoph. Sturmum in Dissertat. de Autoritat. Interpret. naturæ
cap. II. Conclus. e. p. 187.

§. IV.

Circa alienam experientiam Honorati Fabri monitum observa-
se consultum erit (l): *Hominis ingenui non esse aliorum experimenta
pertinaciter negare, qvæ vel nunquam ipse probavit, vel imposterum
probare recuset.* Sed & in hoc cautè procedendum est: turpiter fal-
leremur, si ob nudam dicentis autoritatem assertum aliquod, vel ex-
perimentum tanquam indubitatum & infallibile acciperemus, sicqve
in verba Præceptoris juraremus. Negare simpliciter non decet neq;
etiam apodicticè affirmare. Seqvi hic Ammonium non pœnitabit ita
loquentem (m): *Qui explicare Aristotelis libros velit, eum decet negare
benevolentia adductum dare operam, ut falsas sententias defendat,
neqve eas perinde accipiat, ac si ab Apollinis tripode manarint: neqve
ut, qvæ verè ac rectè dictasunt, perversè ac per odium capiat: sed in-
corruptum esse omnium eorum qvæ dicuntur judicem; ac primum qui-
dem debet explicare Autoris sententiam, tum, qvæ eidem probentur,
interpretari, postremò de iisdem ferre judicium* (n). Similiter Veru-
lamius (o) ab autoritate antiquitatis non planè abstrahit; interim
summæ pusillanimitatis esse judicat Autoribus infinita tribuere.

(l) Tr. VIII. Lib. I. Propos. XLII. (m) In Arist. Categor. edit. Venet. Rasarii
p. 80. Item ibidem ad cap. περὶ τῶν οὐσιῶν p. 159. (n) Consultantur
etiam Simplicius sub init. Comment. in Aristot. Categorias. Joh. Zeisold in
Theoria corp. natural. Disp. I. it. Heinric. Jul. Scheirl in Bibliograph. mo-
ral. num. CXIII. (o) In novo organo Propos. LXXXIV. p. 302.

§. V.

At, dum aliorum experimentis assentimur, non decebit autori-
tate viri adeò nos capi, ut unicum ipsius experimentum præfera-
mus aliorum experimentis cum eodem successu sæpissimè iteratis.
Neqve recusabimus præsentibus instrumentis ac sumptibus fidem ex-
perimentorum à Viris licet prudentibus ex proæresi, methodô rebus
accommodatâ institutorum explorare. Ad prius nîl potest allucere,
nisi nimia credulitas & pertinax perswasio, uti & ipsis accedens nimia
timiditas de infido aut nullo experimentorum successu: Ad alterum
sedu-

seducet annata tarditas, ne dicamus pigritia. Nimis illa timiditas ex eo oritur, qvod unâ vice probè suscepsum experimentum feliciter eveniat, alterâ vero eâdem diligentia tentatum, felici eventu careat. Nimirum si tentaveris, accidet, te non solum bonam experimentorum partem, tum qvæ tibi ex lectione Autorum, tum qvæ ex eorum, qvibus consveris sermone innotuerint, falsam aut fallacem comperire, verum etiam nonnullas observationes legere, qvæ tametsi ut verissimè ab Autoribus idoneis, vel testibus ocularibus *αξιοπίστοις* communicatæ, aut fortasse tuâpte experientiâ confirmatæ fuerint, ut iteratâ exploratione spem tuam frustrentur, & vel neqvaquam perpetuo succedant, vel saltem eventu, qvàm optaveras, admodum diversò. (p) At idcirco omnem experientiam seponendam non esse qvotiescunqve in irritum inciderit, statuimus: sed dum de ancipiti eventuum alea certi sumus, eō cautius curandum, ut horum causas evitemus, qvæ partim à rerum operi adhibitarum proprietatibus peculiaribus ac ignotis, partim ab errore aliquo in ipsa operatione admisso, provenire solent. De qvibus dum brevitatis ergo prolixiores hic esse non possumus, consuli merentur citati jam generosissimi Domini Roberti Boyle duo tentamina de infido experimentorum successu, & de experimentis, qvæ non succedunt, in qvibus ex professo hæcce pertrahavit.

(p) *Verba sunt Roberti Boyle in experimentali Philosophia naturali peritissimi In Tentam. Phisiolog. Tentam. I. p. 59.*

§. VI.

Non possumus hic sine laude præterire ejusdem Roberti Boyle Exercitationes ex lingua Anglicâ in Latinam nuper versas, de Utilitate Philosophiæ Naturalis Experimentalis, in qvibus ingeniosissimè diligentissimèqve monstrat, qvem usum Experientia præstet, non solum in rebus naturalibus rectè cognoscendis, sed etiam qvam multiplicem eum diffundat in Theologiam, Medicinam, Artes Mechanicas ac totam hominum vitam.

CAP. V.



CAPUT V. DE SACRA SCRIPTURA.

§. I.

Quartum & ultimum medium per quod veritates naturales obtinentur, esse Sacram Scripturam existimamus, Illum Librum, in quo Deus loquitur. Loquitur autem maxime de rebus fidei & via salutis, nihilominus tamen multa continet, quae fidem & salutem non spectant. Proponit enim Politica, informat Patrem familias, tractat Historica, Mathematica, & quod quamplurimum jam attendimus, in Naturali Historia nos erudit, quae Viris eruditissimis Levino Lemnio, Ruæo, Vallesio, Franzio, quem Dominus Praeses continuavit, Johanni de Mey, Bocharto, Ursino, Voglero, aliisque tanta fuit, ut integra volumina de animalibus, lapidibus, plantis, utilitati publicæ consecrare non dubitarint. Quid? laudatus supra jam Robertus Boyle, quam physica sua opera ex Sacris Literis non deduxerit, illas tamen non circa physices historiam generalem tantum versari, sed fundamenta quoque physices continere asserit: Nam *Scripturæ Librum*, inquit (a), *libri naturæ descriptione, non generali saltē historia, nos quod mundum creaverit* (cui docendo unicus primi *Genesis capitinis versiculus sufficit*) erudiendo, sed speciali quotidiani circa creationem processus enarratione nos dignos faciendo incipit, & duobus prioribus *genesis capitibus* fundamenta Philosophiae naturalis præstantiora, quam homo forte judicio suo perspicere valet, proponit.

(a) *De utilit. Philosoph. Experim. Exercit. II. § XII. p. 26.*

§. II.

Longius procedunt Scripturarii, sive ii Physici, qui totam ferè naturæ scientiam ex Sacris Literis deducere suscipiunt. In qua classe reponi solent Robertus Flud, alias de Fluctibus in *Philosophia Mosaica*, Lambertus Danæus in *Physica Christiana*, & Johannes Henricus Alstedius in *Physica Harmonica*. Sanè hic ultimus monet Lectorem suum: *Hic semper memineris, physicam Mosaicam esse Lydium illum Lapidem, ad quem omnia sunt examinanda, quæ à nātūrā disputantur. Cum enim Deus opifex hujus mundi, & verò quilibet opifex possit omnium*

omnium verissimè & optimè de sui operis ratione differere , nostrum
est assentiri Deo, nobis per Mosen loquenti. Adjiciuntur hisce Joha-
nes Amos Commenius in Physicæ ad lumen divinum reformandæ
Synopsi: Joh Sophron. Kotzack in Mica Philosophiæ &c.

§. III.

Eiusmodi philosophandi rationem non approbamus, nec nostra
mens est, cum Scripturam S. medium facimus ad veritates rerum
naturalium deveniendas, ac si omnes ex illa derivandæ essent, & tam
rerum principia, quam affectiones, quæque in tota scientia physica
tractantur, juxta Scripturam ceu normam illorum essent instituenda.
Ideo enim consignatam non esse scimus, & quæcunque habet, pau-
cissima sunt ad constituendam scientiam non sufficientia, multa
quæque populari, rethoricō & poëticō stylō efferuntur, quæ ad res
naturales cognoscendas male trahuntur. Verbo : minus tutum exi-
stimus ad Sacram Scripturam in iis determinandis provocare, quæ
sensus docere, vel ratio indagare valet. Vidimus enim quam falsis
interpretationibus Physici, qui sacri videri volunt, Scripturæ dicta ad
systemata sua integranda corrumpant; rarissimè reperimus unum aut
alterum ex omnibus judicium in conscribenda physica adhibuisse. Si
unum excipiamus Comenium, qui Synopsin suam juxta tria principia,
Sensus, Rationem & Scripturam, secutus Campanellam ejusque Inter-
pretem Tobiam Adami, consignavit. Cæteri quibus interdum usi
Principiis nescimus: inter quos eminet Robertus Fluddus, gente An-
glus profundi alias ingenii Vir, sed adeò tenebricosa secutus est Prin-
cipia, ut ad curiosas, & vetitas etiam artes quandoque delapsus de-
prehendatur. Absit autem ut causam hujus erroris Sacræ Scripturæ
tribuamus, quem ex nimio pietatis ipsorum zelo oriri potius dicimus,
dum authentiæ Sacrarum Literarum aliquid derogari putant, nisi ipsa-
rum autoritatem in naturalibus æqvè ac in rebus fidei admitterent.
Verum occurrit ipsis Verulamius (b), inqviens: *Istiusmodi homines non
id affequuntur, quod volunt: neque enim honorem ut putant Scriptu-
ris deferunt, sed easdem potius deprimunt & polluunt.* Cælum enim
materiatum & terram, qui in verbo Dei quæsiverit, (de quo scriptum est
cælum & terram pertransibunt verbum autem meum non pertransibit)
is sanè transitoria inter eterna temere persequitur. Quemadmodum
Theologiam inter Philosophiam querere, perinde est, ac si vivos queras

E

inter



*inter mortuos : ita contrà Philosophiam in Theologia quærere, non
aliud est, quam mortuos quærere inter vivos.*

(b) Verulam Lib. IX. De Aug. Scient. cap. I. num. 3. p. 262.

§. IV.

Verulamium, inqvis, judicium ferre nimis rigorosum: nisi enim Spiritus S. nos etiam in philosophicis erudire voluerit, eccur horum mentionem fecerit? Dicis quoque, te optimè scire Scripturæ ultimum finem esse, ut nos idoneos reddat ad vitam æternam, nihilominus tamen unius rei plerumque plures esse fines, etiam in humanis, nedum in divinis. At cum de Literarum Sacrarum fine judicium ferendum, à Theologis discimus: Primarium nempe simpliciter talem, esse divini nominis gloriam, deinde finem secundum quid talem, hominum salutem & beatitudinem æternam: Tandem intermedium seu subordinatum, conversionem, regenerationem, justificationem, sanctificationem (c), nec opus est, ut Scripturæ affingamus fines à Spiritu S. nunquam intentos. Qvod aliarum disciplinarum injiciat mentionem, incidenter, & melioris illustrationis ergo factum: Ut Orator bonus ad persuadendum Auditorium, modò ex hac, modò ex illa disciplina petit similitudines, explicationes exempla &c. Ecquis diceret illius propositum esse de illis disciplinis ex fundamento loqui? Rectè Cassiodorus sibi hanc sententiam de Scripturis formavit, qvod Schola sit cœlestis, in qua, quicquid vel discendum est vel ignorandum (in rebus nempe divinis) discimus. Qvanquam verò non omni sensu rejicimus Thomæ Lydiati sententiam, qui absurdissimum esse existimavit, ethnicos Philosophos in unius Homeri Poesi omnium artium Principia quærere: nos verò Christianos in Oraculis Dei, uberrimo sc. pariter ac limpidissimo sapientiæ fonte non item facere. Nemo tamen nobis nunc vitio vertet, qvod Plurimum Reverendum Præceptorem, Eudemque Evergetam nostrum singularem Dn. M. Dav. Caspari seqvamur. Is (d), cum differuisse utrum Scripturæ S. autoritas Christianis, licet Ethnicis non sit sancta, in physicis norma esse debeat? respondet: *Ita scilicet illi, qui Physicam theologicam vel Christianam in ore habent. At, quis talem pro philosophica scientia agnoscat? Physicus enim est Philosophus: Philosophum autem talia docere decet, quæ omnes naturæ lumine illustrati capiant, sive gentiles hi sunt, sive Muhammedani, sive Judæi sive Christiani. Hæc enim religionis sunt nomina*



mina, non professionis sapientiae, adeoq; non nisi per accidens cum Philosopho coharent, qvi in se homo est ad naturae lumen attendens. Si sic, qvi Christianus, qva Physicus diversa ab Ethnicis norma utetur. Cui præivit Scharfius (e) Neque, inquietus, omnino approbare possumus Dannæ sententiam, qvi S. Literas pro norma physicarum conclusionum assumit. Non quidem impiè, sed inconsideratus paulò: qvis enim Creatori de creaturis in Scriptura S. aliquid afferenti non crederet? In considerato tamen, qvia præter intentionem Scripturæ S. illa dicuntur. Nam essentiam & voluntatem Dei Sacrae Literæ nobis revelant, non autem per se & exactis demonstrationibus visibilia Dei opera nobis explanant, nisi forte incidenter & melioris explicationis gratia quædam physicalia interspergant. Eorum qvi aliter sentiunt, Virorum doctissimorum sententiam adeo non spernimus, ut informationem potius expetamus, ac argumentis victi cedere, ut decet, paratissimi simus.

(c) Consule Scripturæ loca Joh. XX. 31. 2. Timoth. III. 16. (d) In disputatione accuratissima de Norma Physices §. V. (e) In Præcognit. Phys. §. V.

§. V.

Quid in excessu Scripturarii, id in defectu alii Scripturæ tribunt, qvibus semper in ore est, illam juxta erroneam vulgi opinionem in rebus naturalibus loqui. Inter hos fuit Copernicus, & qvi cum ipso terram movere amplectebantur; sed dum perspicue Präceptoris sententiam demonstrare, & adversariis sufficienter respondere non poterant, labefactata paulatim illorum est autoritas, donec planè sepulta quasi jaceret. Post modum, cum post paucos alios, Cartesius philosophandi licentiam renovaret, resuscitabat quoque Copernici hypothesin, qvam mathematicâ suâ demonstratione, in qvâ excellebat, confirmare annis est, imò sectatores suos adeo cepit, ut majorem ipsi, qvam Scripturæ in rebus naturalibus tribuerint fidem. Qvod falsum præjudicium Scripturam loqui ubique de rebus naturalibus ex opinione vulgi, & secundum apparentiam, non secundum exactam rei veritatem, nî nisi falsas hypotheses & Scripturæ S. directè contrarias exprimere potuit, qvibus Cartesiana philosophia undique scatet: nam v. g. in bestiis nullam esse vitam propriè sic dictam, nullos sensus, nullam cognitionem non magis qvam in automatis, ex Cartesio hu-

jusqve Aſſeclis (f), contrarium verò ex Scriptura Sacra aliisque non infimis Philosophis haurimus.

(f) *Vid. Cartes. resp. ad IV. Objet. p. 265. 266. & Princip. Part. IV. §. 203. Heribord in disp. habita anno 1687. in April. §. 47. Cornel. ab Hoogeland in difſert. de diſina prædestinatione p. 8. 24. 32.*

§. VI.

At, ut non omnibus placuit idem, sensit idcirco & Cartesius adversarios suos haud leves, hic Atheum, ille Scepticum, is hæreticæ & insanæ philosophiæ Autorem ipsum faciebat. Has cum injurias esse Cartesio illatas putarent Cartesiani, illas vindicare conabantur. Hinc exortæ sunt lites gravissimæ ad hunc usque diem non compositæ. Quarum celebris est, qvæ inter Belgicos tam Theologos, qvam Philosophos fervet. Quidam Theologorum Cartesium ex Theologia relegandum, quidam ipsum magnæ utilitatis ergo in illa recipiendum esse contendunt. Ex Philosophis quibusdam placet Cartesium nihil planè ex Sacra Scriptura ad philosophicas scientias traduci, voluisse: quod quibusdam impium videtur, ideoque acriter contra illos calamus stringunt, uti scripta illorum pro & contra edita testantur. (g).

(g) *Vid. contra Cartesianos Martinum Schoockium de Scepticismo Parte prior Lib. IV. cap. XIX. p. 399. Jacobum du Bois Ecclesiasten Leydensem in Seritate & autoritate sacra in naturalibus & Astronomicis asserta & vindicata contra Christophorum VVittichium. Jacobum Regium in statu philosophiæ Cartesianæ p. 45. 137. seqq. 270. seqq. Joh. Herbinum in examine Theologico philosophico famosæ de Solis & telluris motu controversiæ. Samuelem Maresium in dissertatione de Abusu Philosophiæ Cartesianæ in rebus Theologicis & fidei. Petrum van Maſtricht in vindiciis Seritatis & auctoritatis Sacrae Scripturæ in rebus philosophicis, & in Gangrananobitatum Cartesianarum. Melchiorem Leydekkerum in Pace Veritatis p. 24. Fridericum Spanhemium in epiftola de nobißimis circa res sacras in Belgio diffiditis p. 59. Magnif. Dn. D. Valentin. Alberti in Disputat. inaugurali de Cartesianismo & Coccejanismo, qvæ in Belgio typis iterum exscribi meruit. Pro Cartesianorum autem partibus stantes ebulgi possunt Henricus Regius in fundamētis Physices cap. II. p. 68. Christophorus VVittichius in Dissertationibus duabus, qvarum prior de Sacra Scripturæ in rebus philosophicis abusu: Altera de ordine totius universi ex mente Cartesii agit. Idem in Theologia pacifica bis edita, & in consensu Seritatis in Scriptura diſina cum Seritate philosophica à Renato des Cartes detecta. Johannes Amerpoel in Cartesio Mosaizante seu Conciliatione Philosophiæ Cartesiane cum Historia Crea-*



ria Creationis per Mosen tradita. Galenus Farellus in Dissertatione Historica. Abraham Heidanus in considerationibus ad res quasdam nuper gestas in Academia Lugdun. Batava. Antonius Le Grand in institut. Philosoph. Part. VI, cap. IV. aliquæ passim.

§. VII.

Qvare tam periculosa Cartesii philosophia à Magistratibus summis habita est, ut ab Illustrissimô & Celsissimo Principe Henrico Ludovico ex Schola Herbonensi proscripteretur. Et Nobilissimi Amplissimique Academie & Reip. Lugduno Batavæ Curatores & Consules Professoribus suis injunxerunt, ne philosophiam Cartesianam in lectionibus disputationibus, orationibus, aliisque actionibus publicis vel scriptis, qvæ in lucem mittuntur, doceant aut propugnent. Ne addamus, qvod de Copernici sententia in congregacione Cardinalium deputata à Paulo V. ad indicem Librorum prohibitorum Anno 1616. d. 5. Martii & iterum ab Urbano VIII. Anno 1633. d. 22. Junii sanctum est: *Sententia Copernicana est absurdâ & falsa in philosophia, & qvoad Solis immobilitatem formaliter heretica, qvoad motum verò terræ adminimum in fide erronea.* Nec Henricus Mulierius, qvanquam per totos XXV. annos Copernici sententiam examinasset, & Copernicum magni aliâs faceret, illi assentiri & Sacræ Scripturæ contradicere potuit, sed tenuit conclusionem, illud esse verum, qvod divinis oraculis consentit, istud verò falsum qvod iisdem repugnat.

§. VIII.

Nos etsi totius Cartesianæ philosophiæ censores non agamus, in hoc tamen, qvod Scripturam in rebus naturalibus secundum falsam vulgi opinionem se accommodare occinat, ubi id dicendi nulla suspicio est, imo ratio prægnans id non dicendi, errorem aliquem committi, deprehendimus. Confundit enim inter alia nobilissimus aliâs Cartesius cum spiritualibus res naturales. Verum est Spiritum S. sapissimè Spiritualia affectionibus humanis exprimere, ut infirmus hominum intellectus, qvid de Deo ejusq; attributis &c. effatur, eò facilis capiat. Idem autem ubique facere in rebus naturalibus non adeò probabile nec necesse est, siqvidem homo facultatibus instructus est, qvibus, qvæ extra illum in Mundo sunt, intelligere, & ad illarum notitiam pervenire potest. Etsi etiam concederemus Scripturam in

iis secundum vulgi opinionem loqui, non statim sequitur ab ea negari rei veritatem, sed veritatem ipsam determinat, prout se nobis exhibet. Sic cum Lunam dicimus plenam vel dimidiā, ita loquimur quia talis nobis apparet, ergo secundum apparentiam, & tamen etiam secundum rei veritatem.

§. IX.

Valeat itaque Cartesius, valeant quoque Scripturarii, non integræ systemata, non totam physices scientiam ex Scriptura compilare, nec tamen illam planè rejicere aut aliquid contra ipsam statuere desideramus. Multa sunt, quæ in sensu non incidunt, nec ratio asse-
qvitur, de quibus ideo nullam exactam veritatem perhibere possumus, præter illam, quam Sacra Scriptura aperit. Qvod ergò melius me-
dium & verius illâ querendum? Sed objicis, quam per Sacram Scri-
pturam accipimus, fides est, physica verò, non in fide, sed in scientia
consistit, quæ terminanda esset in iis, quæ nec sensu arripere, nec ra-
tio judicare, nec experientia explorare potest. Ita quidem est, cum
autem hujusmodi ad physicam scientiam trahuntur objecta, quæ hisce
tribus mediis non adæquata sunt, quid mirum? nos potius Scripturæ,
incidenter de hisce quidem, vera tamen testificanti, quam fallaci & er-
rori obnoxio Philosopho credere. Verbo: si Philosophi in iis ma-
neant, quæ per sensu, rationem & experientiam declarari verissimè
possunt, non opus erit Sacram Scripturam assumi ut medium pro-
bandi. Gratissimum tamen erit, conclusionum veritates sublimissimo
& infallibili testimonio divino consentaneas reperire, etsi quidam
Philosophi contra sensuum criteria & rationis sanæ principia do-
ceant, eorum absurditatibus Dei de creaturis suis loquentis testimo-
nia utiliter opponemus, effrænemque philosophandi licentiam co-
cepimus.

CAPUT VI.

SPECIMINA EXHIBENS,

DE

REBUS NATURALIBUS COGNITIONUM EX MEDIIS CO- GNOSCENDI ADHIBITIS.

§. I.



§. I.

Cum exempla cognitionum de rebus naturalibus ex mediis cognoscendi recte applicatis per quam multa afferi possint, nos in hoc tractionis compendio decadem assertionum afferemus.

§. II.

I. De Mundi origine disputationes obscuras gentilium Philosophorum, qui aut cum Aristotele eum ab aeterno extitisse, aut cum Epicuro casu & necessitate materiae formatum putarunt, dispellit Lux verbi divini revelati. In principio creavit Deus cœlum & terram. (a).

(a) *Genes. I. Vid. etiam de hac materia Claudio Berigardi Philosophi primum in Pisano, deinde in Patavino Lyceo Primarii Circulum Pisanius P. III. p. 211. seqq.*

§. III.

II. Mundus est extensione finitus. Probamus: quia partes mundi sunt finitæ. Finitum autem additum finito, non facit infinitum. Contra Cartesium, ex cuius verbis & hypothesi mundus est extensio infinitus, ut sententiam suam distinctione inter finitum & indefinitum abscondere conetur. Expendantur ejus verba, (b) & qui contra ipsum disputerunt. (c)

(b) *Part. II. Princip. num. XXI. XXII. Lib. I. Epist. XXXV. & LXIX. (c) Job. Bertlingius Prof. Philosoph. Græninganus in Lib. cuius inscriptio: Idolum Cartesianum, Mundus mille vortex, extensione infinitus, immensæ pars potentiae diuinæ exercitium, Creatus à Cartesio: & Gerardus de Uries in Disserat. de Extensione infinita, quæ adjuncta insenit ejusdem Aut. cogitationibus Rationalibus de Deo p. 265.*

§. IV.

III. Cœlum planetarum est fluidum. Probatur: Observationibus sœpè factis, deprehensæ phases in Venere, Lunaribus consimiles, indicant Venerem Soli circumduci, ut nunc suprà nunc infra, nunc ad latera ejus feratur: item circa Jovem Medicea sidera perinde ac Venus circa Solem moventur. Quæ fieri non possent, si Cœlum solidum esset. Qvare Aristotelici assensum non merentur, qui (d) perhibent, totam regionem cœlestem esse compactam, solidam, duram, instar crystalli aut adamantis, & in octo circulos orbes seu spheras, (ut supra dictum, (e)) sic discretas, ut singulis inferioribus septem singuli Planetæ infixi sint, uti clavi cum rota circumducibiles.

(d) *Ex Lib. I. de Meteor. cap. IV. & Lib. II. de cœlo textu 42. 46. (e) cap. I. §. VII.*

§. V.



§. V.

IV. Sol ignis est, instar auri fusi, vel maris ignei ebulliens. Etenim libero oculo Sol ignis lucidissimus est, per Tubos non solum ut ignis conspicitur, sed & superficies ejus coquentibus & ebullientibus flammis, trementibus faculis & maculis conspersa observatur. Radii ejus materiam aridam incendunt, imprimis per specula Ustoria, quorum fabricam adeò exactam fecit Generosissimus Ingeniosissimusque Dominus de Tschirnhausen, ut effectus igne omni sublunari mirum quantum efficaciores exhibeant. Nimurum in ligno flamma in momento excitatur, quam ne vehementior quidem ventus facile extingvat, aqua in fasculo figulino subito effervescit, ut ova injecta mox fiant edulia: massa plumbi stannive tres pollices crassa, guttatum liquefcit, pauloq; ibi detenta continuò fluit: cuprum & argentum colliquefcunt: Asbestum sive alumen plumosum nullius ignis vi sensibiliter alterari posse creditum, in vitrum subfulvi coloris liquefit. Quæ efficacia soliorum radiorum non solum æstate conspicitur, sed & heme, cum cœlum serenum est. (f) Non attendendus ergo erit Aristoteles, negans, Solem esse igneæ naturæ, & ex se calidum. (g)

(f) Plura lege in Actis Erudit. Lipsiae publicatis Anno 1687. Mense Januario p. 52. Et Anno 1688. mense Aprili p. 206 (g) Lib. 2. de Cœlo cap. VII.

§. VI.

V. Aër atmosphæricus est gravis. Probatur tum experimentis tum rationibus. Experimenta sunt (1.) Uter inflatus & multo aëre plenus, præsertim per vim intruso gravior est, quam vacuus (h). Si autem aër esset levis, quo plus ejus esset, hoc major levitas sequeretur: Unde constat aërem esse gravem gravitate positiva, non autem esse levem nisi respectivè. (2.) Vesicam bovinam primò flaccidam, deinde inflatam, ad exactissimam bilancem expendit Ricciolus (i): flaccida pependit scrupula quatuor & grana quatuor: inflata scrupula quatuor & grana sex. Aer ergo intra vesicam constipatus, habuit pondus duorum granorum. (3.) Vitreum ac rotundum vas 32. mensurarum, fit uncia una & tertia propè unciae parte levius, si aër exhaustus sit, quam antea, dum erat aëre plenum. (4.) Duo Hemisphæria cuprea conjuncta extracto aëre à sedecim eqvis separari nequeunt: Qvod vis aëris, & gravitas, mole suâ circumquaque ambientis efficit (k). Rationes occurunt: (1) Aër est pars hujus globi elementaris ipsi

ipſi conſtanter circumfusus & cohærens: E. non eſt abſolutè leviſ, aliàs ab ipſo longiſſimè in auras æthereas avolaturuſ eſſet, aut violen-ter hic detineretur. (2) Aër in effoſſæ terræ locum & profundiſſimas cavernas ſubterraneas, non aliter ac aqua talibus vicina promptiſſimè deſcendit. (1) Qvæ cum ita ſint, Peripatetici aberrant aëri levitatē adſcribendo eam, per qvam ſuapte natura furſum tendat.

(b) Obſeruantे Aristotele Lib. IV. de Cælo Text. XXX. (i) Lib. II. Almageſt⁹ nobis cap. V. n. 4. (k) Vid. operosiores ponderandi aëris grahitatem mo-dos excogitatos à Roberto Boyle in experimentis Physico Mechanicis de aëre. Gerickio in experimentis nobis Magdeburgicis, aliisq. è qbi-bus excerpta fecit Sehottus in Technica curiosa p. 277. Adde Geor-gium Sinclarum gente Scotum, de Arte Magna & Noſa Grahitatis & Lebi-tatis Roterodami Anno 1669. Hamelium de Qualitatibus corporum p. 541. ſeqq. Joh. Christoph. Sturmium in Colleg. curios. P. I. Append. p. 25. Reyherum in diſſertat. de Aëre cap. XI. Kilonii an. 1670. (l) Vid. Arist. Lib. IV. de Cælo textu 39.

§, VII.

VI. Aër habet motum qvendam reſtitutorium, qvō ab aliis cor-poribus compressus reſiſtit, & ubi eorum preſſio ceſſat, dilatando ſeſe ad ſtatū ſibi naturaliter debitū reducit. Viſ hæc & potentia aëris ſeſe expandendi Elaſtica, ſive Elater Aeris appellatur à Boyle, (m) qvod aëris particulae iſtar spirarum facile incurvari poſſint, & con-glomerari, ſed & rurſus extendere ſe & explicare nitantur: Eſt autem ἐλαστη, ἐλαſτη, auriga, expulſor. unde metaphorice aeris par-ticulae, vi expansiva præditæ, elateres audiunt. Rectius judicante Reyhero (n), elaterium vel viſ elastrica diceretur: ἐλαſτική enim ſigni-ficat id, qvod impellit, vel impellitur. Declarat Boyle. c. l. iſtam aëris affectionem duabus ſimilitudinibus, unam defumit à vellere la-neo aut cumulo lanæ: Vellus enim laneum aut cumulus lanæ ex plu-ribus tenuibus & flexibilibus pilis conſtat, qvorum ſinguli iſtar ſpirarum parvarum ſunt, & qvām facile incurvantur ac comprimuntur, tam facile rurſus extenduntur & explicantur, dum ſunt à preſſione li-beri: ſcilicet qvia dilatandi principium habent aut potentiam. Altera-ram petit à ſpongia ſicca, qvæ compressa conſtrigitur, & à preſſione libera, ſpontē ſeſe iterum dilatat, & ad priſtinam ſuam molem redu-cit. Priorem tamen ſimilitudinem convenientiorem cenſet Boyle, qvoniam vellus laneum corpus unum ſimplex ac integrum, uti ſpon-

F

gia



gia non est, sed congeries tenuium flexibiliumque corporum laxius complicatorum, quemadmodum & ipse aer esse videtur. Aliis adhuc exemplis vim illam illustrat Antonius LeGrand (o): nimirum arcu tenso, tormentorum rotis, sclopis pneumaticis, chalybis spiris, quae intra horologii portatilis tympanum convolutae, omnes rotas agitant, similibusque multis, quae ad aliquas angustias redacta resilire, & se dilatare conantur. Reyherus (p) scribit, aerem optimè comparari posse cum plumis mollissimis in Dania usitatis (nec nobis ignotis) quas **Liter** vel **Otterdūnen** / ab avibus simile nomen gerentibus, vocant. Tres enim librae talium plumarum in palmarem globum cogi possunt, quae suae expansioni relictæ culcitram vel stragulam quinq; pedes longam & latam explent.

(m) In nobis experimentis physico Mechanicis Experimento I. (n) de Aere cap. III. (o) In institutione Philosophiae Part. VI. cap. XVII. (p) de Aere cap. IV.

§. VIII.

Quæ virtus aeris evincitur experimentis tum veterum, tum maximè recentiorum. Veterum experimenta sunt: (1) Membra uteri inflato inclusa dolorem à pressura aeris percipiunt, teste Aristotele (q). (2) Heron Alexandrinus narrante Johanne Baptista Porta (r), inter alia vacuum per naturam quasi dispersum probare voluit ab elatere aeris, quando in globum ferreum cavum per angustissimum orificium multum aeris inflari, & sic Spiritum comprimi, contra quoque magnam Spiritus copiam fugendo extrahi posse dicit, propter vacuum quod aer compressus replet, attenuatus vero relinquit. (3) Vitruvius (s) tria machinarum genera tradit, *ἀνεργβαληνον* sive scansorium, *πνευματινον* seu spiritale, & *βάραυστον* sive tractorum. Spiritale vocat, quod aere animatur. Nisi autem aeri inesset vis elastica, non posset ita machina includi ut vi eruptionem tentaret.

(q) Problem. Sect. XXV. num. I. (r) Pneumat. Lib. I. cap. V. (s) Lib. X. cap. I.

§. IX.

Recentiorum experimenta evidentiora occurunt. (1) Vesica flaccida intra evacuatum recipiens distenditur ob vim aeris elasticam. Accepit Boyle vesicam agninam amplam satis siccatam, flaccidam admodum

modum & aëre semiplenam , ejusqve orificium bene obstrinxit ne vel minimum inclusi aëris elaberetur. Hanc intra recipiens immisit, operculum superius benè occlusit, & superlutavit, antliam bis terve exercuit, ut nonnihil aëris extraheretur. Qvamprimum aër extrahi cœpit è vitro, aër in vesica carceratus cœpit intumescere, & qvò plus aëris è vitro extrahebatur, eò magis ille intumescebat & vesicam antea flaccidam extendebat, adeò ut recipiente nondum penitus evacuatō , vesica tam plena atqve extensa appareret, ac si calamō inflata foret. Ex qvo phœnomeno colligitur, aërem antea in vitro conclusum, vi suâ elasticâ dilatasse se, & vesicam cum aëre inclusa compresisse , extractō autem è vitro aëre ex parte , & factō rariore, virtutem ejus elasticam fuisse debilitatam, ac minus pressissim aërem vesicæ inclusum , sicqve hunc à pressione liberum sese dilatasse, & vesicam extendisse. Veram esse hanc causam ex eo ostenditur, qvod aperto aliquantulum epistomio Recipientis , & aëre intromissō , statim tumor vesicæ incipit remittere, tantòqve magis, qvò plus aëris intra vitrum intromittitur, donec repletō iterum vase, vesica redditur flacida ut antea erat. (z) Vesicam exsiccata modicè inflatam & filō firmiter obstrictam, idem Boyle suspendit funiculō intra vitrum. Contigit autem statim post exhaustum aërem ambientem, qvi prius vesicæ incumbebat, ut aër internus vesicæ usitata levatus contranitentia externi aeris vesicam tumefactam distenderet, distensamqve disrumpet, non secus ac si manuum convellentium vilacerata atqve disrupta fuisset, aut si pyrobole exploderetur. Plura experimenta ex Gerickio (t) & Boyle (u) reperiuntur apud Schottum (x). Tentavit etiam aliqua Sturmius (y), qvæ post Gerickium & Boyle præstiterunt: machinas suas paulò aliter instruentes Hugenius & Papinus summatim recenset Hamel. (z).

- (t) *In experimentis nobis Magdeburgicis* (u) *Experimentis nobis Physico Mechanicis de si aëris elasticâ.* (x) *In Technica curiosa p. 295. seqq.*
(y) *In Collegio curioso* (z) *Lib. III. de consensu Esteris ac nobis philosophiæ cap. III. num. 6.*

§. X.

Hanc qualitatem aeris jam probatam etiam Cartesiani afferunt, in causa vero ejus à Boyle dissentunt, prout patet supra cap. I. §. 9.

Boyle enim eam dependere concipit à spirali vel serpentina particu-
larum aërearum figura: spirulæ enim comprimi quidem possunt, sed
semper pristinum statum recuperant, veluti filamenta, ex quibus lana
constat. Partes igitur aëreæ veluti fila ab aeris incumbentis mole
comprimuntur, sed ubi gravi hoc pondere aut alia pressione solutæ
sunt, uti lanæ filamenta se explicant. Cartesiani autem derivant à
vehementi agitatione, & quasi à motu vibrationis, quem æther inter-
currans aeris particulas efficit. Quæ ratio etiam arridet Sturmio (a)
cum differit: Si maximè quis cum Boyleo supponat, aërem nostrum aut
constare, aut saltim abundare istiusmodi partibus, quæ, si quando in-
curventur, vel incumbentis atmosphæræ pondere, aut alio quovis
corpo compressæ te-
nentur, contranitendo, à pressione ista sese liberare, quantum valent,
moliuntur &c. non minus tamen de his parvulis spiris aërearum parti-
cularum, quam de balistarum magnis arcubus queritur, quodnam mo-
dens illos in arctius spatiū contractos, tam violenter commoveat.
Nihil igitur superest, quam, ut cum Recentioribus aliis statuamus, aëris
aliorumq; omnium corporum poros ac interstitia, subtili quodam æthere
compleri, qui cum ab ipso mundi exordio in ipsa generatione quorumvis
corporum meatus sibi liberos perpetuo suo & excitatissimo fluxu para-
verit, particulis suis & motui suo quantum per cuiusvis materiæ condi-
tionem licuit, proportionatos, si quando contingat in extraordinaria
istorum compressione aut tensione meatus istos contrabi aut immutari,
jam solito minus liberum transitum inveniens, vehementi suo impulsu
viarum solitarum latera concutiat, adeoq; remoto impedimento fortio-
ri meatus istos pristino suo situi restituat, vel etiam si diutius in statu
tensionis aut compressionis violento detineantur corpora, novas sibi vias
paulatim effodiat &c. Speciatim autem aëris fluidi tenuissimas particu-
las intra ætherem istum agitatissimum, non aliter ac plumulae in aëre
solent ordinariè disjunctas fluitare, exiguum quandam quasi sphærulam
suo motu occupantes. Compressò verò alicubi aëre ætherem inter-
fluentem ex primi quidem, sed vel ipsum illum vel alium, propter agita-
tionem ejus nunquam intermittentem in loca derelicta succedere la-
borantem, partes aëris coarctatas continuò impellere, ita ut non possit
non extremitatibus suis se mutuò verberare, altera alteram loco pulsu-
ræ, atq; ita omnes simul impetum facere ad majus spatiū ocupandum,
tandem.



tandemq; actu & cum impetu occupare, ubi obex aut causa compri-
mens, hoc est, motum ipsarum ordinarium prohibens, remota fuerit.
De subtili illo æthere vel corpore per universum mundum diffuso
ipse habet Aristoteles (b). Cæterum ex motu illo aeris elastrico ratio
sumi potest motuum eorum, qvos metu vacui vulgo perhibent fieri,
aliorumque qvamplurimorum effectuum naturalium, qvos admi-
ramur (c).

(a) In auctariis ad Collegium curiosum p. 112. (b) Lib. III. de Generat. ani-
mal cap. XI. aliis X. & Lib. II. de anima cap. VII. §. 68. 69. alibiq;e. (c) Le-
gatur Dom. D. Joh. Bohnii Physici ac Medici Experientissimi Meditatio-
nes elegantissimæ de Aëris in sublunaria influxu.

§. XI.

VII. Cœlum movetur non Terra. Peripateticorum atq;e Co-
pernicanorum certamen, qvod argumentis agunt, ex qvibus difficile
erit se expedire, decidenti verbo DEI scripto credendum est (d).

(d) Eccles. I. 4. Josua X. 12. Matth. V. 25.

§. XII.

VIII. Bestiæ sentiunt atq;e cognoscunt. Probamus (1.) Sensu.
videmus exempli causa canes nominibus suis vocatos advenire: si suf-
furati cibum sunt, clam se surripere, & meticulosè incedere, rostrō
pronō & aversō suam pergentes viam. Audimus verberatos clama-
re & ejulare, conspicimus eosdem aliasq; bestias industriâ humanâ in-
structos promptè facere ea, qvæ magistri jussent. Probamus (2)
rationibus. (a) corpus animale est πορευτικὸν progressivum, sive ha-
bet facultatem se movendi: E. sentit: consequentiæ ratio est, qvod
facultatem se movendi dederit natura ob aliquem finem, qvem alium
dicere non possumus, qvam ad consecrandum salutaria, declinan-
dum noxia. Atqui salutaria à noxiis internosci non possunt, sine
sensu tactus & gustus, E. qvodcunque animal ad minimum hos duos
sensus habere oportet. (β) Bruta somniant: E. sentiunt. Antecedenti
fidem facit ratione & experientiâ Aristoteles (e). item Plinius (f)
Et Theocritus (g) Εν ὑπνοῖς πᾶσα νύων ἀγέως μαντεύεται. i. e. In-
somnis omnis canis offam auguratur. Similiter canis dormiens la-
trat viso forte in somniis minaci fuste. Ratio inferendi est, qvia
somnium definitur actus facultatis internæ cognoscitivæ & appetiti-
væ in somno. Cur somnians latrat canis, cur maxillas collidendo



qvasi vorat offam, si nihil cognoscit, nihil appetit, nihil metuit? Atqui
 hoc ab objecti externi alicujus impulsu non est. Nam, ut docet Le
 Grand (h), in somno ob inopiam & motum diminutum spirituum ani-
 malium nervorum filamenta fatiscunt, seu considunt, & sibi ipsis quo-
 dammodo inhaerent, & innectuntur, ut si interim objectum aliquod in
 quandam corporis partem agat, impressionem illam ad cerebrum trans-
 mittere nequeant, ac proinde nulla inde sensatio resultare possit. E. in
 bruto somniante est potentia aliqua cognoscens & percipiens & appe-
 tens. Probamus (3) Suffragiis Scripturæ: In Brutis est נֶפֶשׁ חַיָּה (k). Spiritus vitæ (l). Sunt
 anima vivens (i). רוח חיה (m) Spiritus vitæ (k). Spiritus (l). Sunt
 sensus: tum externi, Visus (m). Asina videt Angelum. Aquilæ ocu-
 li in longinquum prospiciunt. Auditus (n) Equus audit sonum buc-
 cinæ. Tactus (o) Asina Bileami sentit verbera; Odoratus. (p) Gu-
 stus. (g). Tum interni Phantasia & memoria (r): Cognovit bos pos-
 sessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui. Ciconia novit tem-
 pora statuta sua, & turtur, & grus, & hirundo custodierunt tempus
 adventus sui. Perversi homines aliqua Φυσικῶς ὡς τὰ ἄλογα ζῷα
 ἵπποι, naturaliter ceu muta animalia sciunt. Appetitus. (s) do-
 lor gravissimus qualis parturientium. (t). Unde & Deus urbem ex-
 cisorus jumentorum miseretur (u). Quæ opposita sunt Cartesio & di-
 scipulis ejus: qui bestias nihil, nisi αὐτόματα quædam naturalia esse
 perhibent, destituta sensu propriè dicto, qui est cum perceptione &
 cognitione (x).

(e) Libro de Insomniis cap. II. Lib. IV. Hist. animal cap. X. (f) Lib. X. cap
 LXXV. (g) Idyllio 21. 6. 44. 45. (b) In Instit. Philosoph. P. VIII. de homi-
 ne cap. XX. num. IV. (i) Genes. 1. 3. Proverb. XII. 10. (k) Genes.
 VI. 17. VII. 22. (l) Eccles. III. 21. (m) Num. XXII. 23. Job. XXXIX.
 29. (n) Job. I. c. 6. 24. (o) Num. XXII. (p) Job. c. I. 6. 28. (q) Da-
 niel. IV. 22. Jon. III. 8. (r) Jes. I. 3. Jer. VIII. 6. 7. Jude. 6. 10. (s) Psalm.
 XLII. 2. CIV. 11. Proverb. XXVIII. 15. (t) Job. XXXIX. 3. (u) Jon.
 IV. 11. (x) Vid. Cartes. ipsum de Method. P. V. p. 34 seq. P. IV. Princip.
 §. 203 In Respons. ad q̄bārtas object. p. 126. in Epist. P. I. p. 181. 188. 198. 206.
 Part. II. p. 2. 6. 23. 159. Et Antonium Le Grand in peculiari dissertatione
 de Carentia sensus & cognitionis in Brutis edita Londini Anno 1675. recusa
 in Belgio & Germania. Adde de Uries Exercitationem AntiCartesianam
 de operationibus brutorum, Post Exercitationes de Deo p. 421.

§. XIII.

XIII I.

IX. Motus corporis humani ab animæ ei unitæ, tanquam Prin-
cipii interni impulsu & directione pendent. Prob. (1) ab experien-
tia in nobis ipsis, qva deprehendimus corpus nostrum ad nutum &
arbitrium mentis nostræ moveri. Prob. (2) rationibus *à priori* :
ideò mens unita est corpori, ut illius Imperio actiones hujus subsint.
A posteriori si motus corporis nostri , à mente tanquam à verò prin-
cipio & propriè dicta causa non pendent, etiam anima rationalis nul-
lius actionis externæ , consequenter, neque ullius operis corpori pec-
caminosi causa propriè dicta haberi potest. Etenim cum voluntas
mali hominis se determinat ad furtum , si extensionem manus non
efficit anima, furti ipsa causa efficiens physica non est, sed tantum mo-
ralis. Ecq; verò causa efficiens alia est, illum motum producens?
Probatur (3) ex Scriptura. Facto è terra corpori Deus inflavit
נשׁמַת חַיִּים i.e. animam vitarum , & sic demum factus est homo
לְנֶפֶשׁ חַיָּה in animam viventem, seu in animal vivens, cum antè cor-
pus ejus exanime nec viveret, nec sentiret, nec moveretur (y). Filius
Sareptanæ per preces Eliæ reviviscebatur reversâ animâ in corpus il-
lius (z). Paulus in Eutycho dicens animam esse, indigitat ipsum vi-
vere (a). Ex qvib; locis colligitur vitam corporis pendere à con-
junctione animæ cum corpore (b). Adversantur assertioni nostræ
itidem Cartesiani, qvi præeunte Magistrô suô, negant animam huma-
nam corpori suo propriè conferre ullos motus, afferendo motus cor-
poris automaticos esse, à principio externo impellente pendentes (c).
Atq; hinc porrò inferunt monstrorum dogma absente animâ ratio-
nali corpus humanum posse vivere , qvod cum aliis propositionibus
Cartesianis proscribi meruit ab Academiæ Leidensis Curatoribus An-
no M. DC. LXXVI. die XVI. Januarii, uti supra jam dictum. (d)

(y) Genes. II. 7. (z) 1. Reg. XVII. 21. 22. (a) Act. XX. 10. (b) Conf. Pe-
trum van Mastricht in Nobilitat. Cartesianarum Gangrenap. 444. De Uries
exercitationem de Homine Automatico. p. 319. (c) Vid. Cartes. de Me-
thod. p. 34. Part. I. Epist. 54. & 67. (d) cap. V. §. VII.

§. XIV.

X. Voluntas humana est causa libera volitionum suarum. Pro-
batur (1.) Ratione. Mens nostra sibi conscientia est, se indifferentem
esse ad objectum aliquod amandum vel non amandum , ad amandum
vel


AA
77
6/4

vel non amandum aut hoc, aut illud. Probatur (z.) Testimoniis Scripturæ. Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus (e). Age nunc, qvi dicitis, hodiè & cras eamus in hanc civitatem, & faciamus ibi annum unum, & mercemur, & lucrum faciamus (f). Fac, qvæcunqve invenerit manus tua, qvia Dominus tecum est (g). Qvi dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus illorum, qvæ cœperant. Qvi apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat (h). Esther obediāt voluntati. Cras aperiam Regi voluntatem meam. (i.) Christus ait volui congregare filios tuos, & noluistis. (k) Et, Non sicut ego volo, sed sicut tu (l). Non concupiscentiis hominum sed voluntati Dei, qvod supereſt in carne tempus vivat. Sat enim est nobis, qvod anteactō vitæ tempore voluntatem gentium patraverimus, cum versaremur in lasciviis, concupiscentiis, vinolentiis, commessationibus, compotationibus &c. (m). Adversarium hic se constituit Benedictus de Spinoza, ex Cartesiana philosophia in Stoicismum imo Atheismnm prolapsus. Etenim is negat voluntatem humanam causam esse liberam suarum actionum; vult autem esse tantum necessariam (n). Unde animam secundum certas leges agentem pro avtomato spirituali habet (o): Sicuti Cartesiani in præcedenti assertione refutati, corpus pro avtomato corporeo venditabant. (p).

(e) Proverb. XVI.9. (f) Jacob IV.13. (g) 1. Samuel. X.6.9. (h) Job. V.12.
(i) Esther. V.5.8. (k) Matth. XXIII.37. (l) Id. cap. XXVI.39. (m) 1. Pet. IV.2.3. (n) Disertè Ethices Part. I. Propof. XXXII. in operibus Posthumis p.28 Idem inculcantem cognoscēs in Tractatu de intellectus emendatione p.384. in Epif. II. p.399. Epif. LXII. p.585. (o) In tractat. de intellectus emendatione p. 384. (p) Conf. VVittichii Anti Spinozam p.26. seqq. & p.81.

SOLI TRIUNI DEO SIT LAUS
ET GLORIA.





DNO. PA
BURGGR
STORII

Aud
spe
sup
tio
dubitavi? Ma
tiis congruere
ponere debui,
bulis, ad juven
In diffitô adm
vi, tracto, & σ
qvæso, benefi
rem profiteor,
beri lubens co
for ejusdem e
Theologicis a
rum naturaliu
idem fore nor
& non sine cau
erat, sed volui
eruditio[n]is, sec
nâ fronte aspic
TE servet, Pa
liis, viresq; qv
mas! Gaudeat
Gravissimo, C
XI, Februarii

A Kodak Color Control Patches chart featuring a ruler scale on the left and a color patch grid on the right. The ruler scale is marked from 1 to 19 inches/cm. The color patch grid contains 16 patches arranged in four rows of four. The patches are labeled as follows:

Row	Color	Color	Color	Color
1	Blue	Cyan	Green	Yellow
2	Red	Magenta	White	3/Color
3	Black	Licensed Product	Kodak	Inches/centimetres

The chart also includes the text "© The Tiffen Company, 2000".

O.
AUSEN.
I. CONSI-
RISSIMO.

se sistere con-
Nomine TUO
solent dedica-
qvam de TUO
istineris, nego-
alem cultum ex-
tui. Ab incuna-
cura sustendor:
s studia tracta-

Qvod majus,
publicè debito,
academicum de-
acitus ipse Sva-
prius debebam,
sed ad istam re-
n inde TIBI &
, in quo hæreo,
d elaborandum
sconamen non
tudinis est, sere-
e expeto. Deus
enedicat consi-
cedat validissi-
, Familia Patre,
bam Lipsiæ, die